This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


Lm
10
75

Jan. 10.75

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.

Received 9 March, 1899

SILVA MANILIANA

CONGESSIT
IOH. P. POSTGATE

CANTABRIGIAE
MDCCCLXXXXVII

Sm 10.75

MAR 9 1899
LIBRARY.

Constantius fund.

Cantabrigiae:

TYPIS INCVDERVNT I. ET C. F. CLAY
PRELO ACADEMICO.

RICARDO CLAVERHOUSE JEBB

VETERVM ELEGANTIARVM

VINDICI INTERPRETI AEMVLO

HOC OPVSCVLVM DEDICAT

IOHANNES P. POSTGATE

OLIM ALVMNVS SEMPER ADMIRATOR.

AD LECTOREM PRAEFATIO.

NOSTRAE in Manilio uigiliae si quid Tibi, LECTOR BENEVOLE, ad difficillimi scriptoris cognitionem auxili contulerunt, uelim MALVINO BECHERTO acceptum referas. huius enim uiri, cum ipsius auctoris tum eius codicum et editionum peritissimi, curas in nostro Corpore Poetarum Latinorum mox edendas pellegentibus haud adeo perpauca nobis succurrerunt quae digna uisa sunt ut in lucem data ceterorum iudicium experirentur. quod codicum praeter Matritensem notitiam attingit, a Becherto totus pendeo. lectiones in his quae sequentur citatae significataeue omnes indidem desumptae sunt nisi quas ex Ellisii nostri *Noctibus Manilianis* esse haustas diserte dixerimus. quod ad *Matritensem* attinet, copiis utimur Ellisii, eiusque sanissimum de eius codicis pretio iudicium in opusculi nostri capitulo III nouis insuper argumentis confirmamus. ceteros modo nomine, modo nota sua, quemque citamus in hunc modum: *Gemblacensem* uel *G*, *Lipsiensem* uel *L*, *Cusanum* uel *C*, *Vossianum primum* uel V_1, *Vossianum alterum* uel V_2, *Monacensem* uel *M*. de nonnullis codicibus Manilianis qui quidem hodie extant in eodem capite III quaedam breuiter disputauimus ut simul legentibus indicemus non neglectam esse a nobis codicum ipsorum curam atque rationem, simul materiam aliquam conferamus ceteris quoque qui post nos poetae succurrere uoluerint quodam modo fortasse profuturam.

Manilii ingenium ne multis uel laudem uel castigem obstat praefationis huius breuitas necessaria, tamen desideraretur in

noto iam auctore et usu nobis familiari pietas mea si tacitum omnino praeterirem. nuper iudicium de poeta tulit Mackailius in libello nitido de Latinis litteris Londini edito (pp. 158 sqq.) iustisque eum laudibus prosecutus est. durus sane et non numquam paene horridus et rebus et uerbis Manilius; materiam sequitur neque ad exponendum satis facilem et huius quidem saeculi hominibus uilem atque abiectam; sermo modo abruptus, modo diffluens; numeri quoque interdum incompti uel dissoluti. est tamen in eo ingeni uena minime uolgaris. priores aut relinquit aut in imitando non tam exprimit quam aemulatur, quod in iudicando quid aliis, exempli gratia Propertio, debuerit, utilissimum erit cognitu.

certe non is est scriptor qui mente atque animo ad unum tamquam finem intento et colliniato adhibeat quae ad illum feriendum pertineant omnia, cetera repudiet atque abiciat. multo magis illius imaginem reddere uidetur qui ui aliqua se ipse uelut in artum cogat atque conglobet, mox concitatiore quo fors feret impetu erumpat. talis est ingeni multa turbatius, multa durius, sed populariter paene nihil et complura etiam praeclare dicere.

quam exquisite dixit de lactea uia hominum oculos in se auertente!

> sic super incumbit signato culmine limes
> candidus et *resupina facit mortalibus ora*
> dum noua per caecam uibrantur lumina noctem
> (I 714 sqq.)

Lucretio dignissimum est quem totiens prouocat ad certamen, non numquam, mehercule, haud impar.

> hoc quam scatens splendore caelesti!
> altius aetherei quam candet circulus orbis (I 802)

Durantis uel Miltoni putares.

quantum audet in tralationibus! quotiens Latino eum sermoni quasi uim adferre uidemus, saepius uictorem! non laudo

et uiridis nemori sanguis decedit et herbis (v 212).

est enim ut noue, ita dure dictum; miraculo tamen propius est Romanum scriptorem tale quicquam periclitari. illud uero egregium,

sic adamas, punctum lapidis, pretiosior auro est (iv 926).

nec displicent illa de ariete Phrixeo fulgore auri fluctus irradiante,

cum uitreum findens aurauit uellere pontum (iv 515)

quamuis uicerint Propertianam in re simili audaciam 'armorum et radiis picta tremebat aqua' (4. 6. 26).

iam si accesserit argumenti aliqua nouitas uel rerum asperitas, se ipso maior est Manilius. Herculem refert in aerumnis: dolet uinci. in arithmeticis subtiles atque intricatas rationes nemo magis luculenter uersibus exponit. abdita philosophiae grauiter atque argute, ut paene uix alter, edisserit; exemplo sit ille locus quo bonorum malorumque facinorum aestimationem a fatali illa necessitate non tolli demonstrat (iv 108 sqq.). ad summam denique is est scriptor qui ardua et abstrusa planius et facilius quam communia et in medio iacentia argumenta tractet.

restat ut et Preli Academici praesidibus qui sumptus huius opusculi edendi ex parte tolerauerunt et eiusdem operis ob indefessam in re typographica nauanda comitatem atque industriam gratias debitas agamus.

CANTABRIGIAE SCRIPSIMVS
a. d. iii Kal. Dec.
A. S. MDCCCLXXXXVI.

SVMMARIVM CAPITVM.

PAGINA

I De locis spuriis et suspectis 1

II De locis corruptis 21

III De Matritensis codicis pretio et de quibusdam codicum Manilianorum corruptelis 57

Appendix 67

Indices 69

CAPVT I.

DE LOCIS SPVRIIS ET SVSPECTIS.

Nostrarum in Manilium adnotationum ansam atque initium ab eo uiro petemus qui in huius scriptoris carmine emendando ceteros equis albis praecucurrisse haud absurde dicatur. cuius etiam si nomen reticuerim, R. BENTLEIVM esse legentium nemo non intellecturus est. sunt tamen, ut adsolet, in egregio corpore menda quaedam, non multa illa quidem nec uenia indigna, sed silentio nullo modo praetereunda, ne illa aliquorum aduersus magna ingenia caeca atque inperita adulatio pro ueris ac solidis cassa atque inania ignaris uenditet. quippe magnus ille uir suis ipse ingenii luminibus dum mentis aciem quasi praestringit, illam uiam ac rationem quam aliis ostenderat quamque ipse ingredi coeperat, haud ita raro, quod cum dolore mireris, deseruit. nam mehercules, si se ipsum ducem semper secutus esset, perpauca in Manilio emendanda ceteris reliquisset.

luculentum huius rei exemplum erit lib. II 230—233[1]. uersui 231 eum uersum subiciunt codices manu scripti qui illic positus et ipse sensu omni uacet et disiungat artis sententiarum nodis inter se cohaerentia:

parsque marina nitens fundentis semper Aquari.

hunc falsario alicui attribuere uanissimum esset. est enim falsarii putida ac superuacanea, non est sensu prorsus carentia inculcare. quid igitur Bentleius? uidit post IV 489 hiare

[1] in Manilii uersibus citandis numeris utor editionis Iacobi.

orationem, mentionem desiderari Aquari; itaque huc illa uerba transire iussit, in hunc modum reficta:

pars *est prima nocens humentis* semper Aquari[1].

ita demum suo loco non deest ille uersus qui antea alieno supererat uel potius oberat.

quam uellem eandem in v u. 514 (543 Iacobi) rationem secutus esset! hic inter

hinc Pompeia manent ueteris monumenta triumphi

et

non exstincta lue semperque recentia flammis

loco alienissimo legitur

et quod erat regnum pelagus fuit una malorum.

hunc u. Iacobus optime post 542 transposuit, optime quoque, quod a prioribus quoque repertum erat, pro *naufragia* (u. 542) *nauifraga* totidem litteris reuocauit, loco sic reformato:

hanc quondam poenae dirorum culpa parentum 540
prodidit, infestus totis cum finibus omnis
incubuit pontus. timuit nauifraga tellus 542
et quod erat regnum pelagus fuit. una malorum 514
proposita est merces uesano dedere ponto 543
Andromedan, teneros ut bellua manderet artus.

uides aptissime regni in 'pelagus' conuersi hic fieri mentionem, aptissime illam mercedem tam nude positam per 'malorum' sede mutata iam facillime explicari; sed displicet illud *timuit*. cur enim quae nauibus timenda erat ipsa timeret tellus? magis etiam displicet *fuit*, praesertim cum 'erat' antecesserit. reponendum *FREmuit* (*f* post *f* excidisse uix est quod moneam); mox *fuRit*. utrumque cum *uesano ponto* optime conuenit.

spuria Bentleio uisa sunt I 128—131:

siue indiuiduis in idem reditura soluta
principiis natura manet post saecula mille
et paene ex nihilo sumptum est nihilumque futurum
caecaque materies caelum perfecit et orbem.

[1] num recte *fundentis* mutauerit, fortasse dubites; cetera certissima sunt.

idem etiam 171 sq. damnauit:

> ictaque contractis consistunt corpora plagis
> et concurrendo prohibent in longius ire.

quam infirmis utrumque argumentis! de priore enim loco sic disputat. "Hi quattuor versus spurii sunt, et a manu indocta. Epicuri hoc dogma longe luculentioribus verbis enarratur infra, atque ibidem refutatur et spernitur ut I 493 ...Quomodo igitur hic ut probabile ponitur quod illuc improbatur? Vide insuper sermonis barbarismos: *in idem* reditura pro *in eadem*; principia scilicet. *Sumptum est nihilumque futurum* pro *sumta* et *futura*; nempe *natura*. Vide et ignorantiam hominis: quasi Epicuri individua *paene nihilum* vel ipsum *nihilum* essent: quae ad infinitos mundos condendos sufficere potuissent." in quo primum illud quidem praecipue admirationem mouet ex Epicureorum dogmatis a Manilio improbatis argumentum potissimum peti. hoc enim loco ille nullo modo cum Epicureis depugnat, sed omnium philosophorum de origine mundi placita, seu uera seu falsa sint, recenset; in quo praeteriri non potuit nobilissima illa disciplina. nihilominus sibi ipsi quid uideretur ne hic quidem in incerto reliquit. illud enim ipsum quod Bentleius ignorantiae esse ait, *paene nihilum* dico, diligentis cuiusdam neglegentiae multo magis est, hominis de re uili cum contemptu disserentis, quod idem in *caeca* quoque *materie caelum perficiente* deprehenditur. deinde *in idem* non 'in eadem' ualet sed 'eodem' εἰς ταὐτό. nam *soluta* quod codices exhibent ex *solutIS* deprauatum est. ac *sumptum* in Gemblacensi quidem extat; alii uero libri *summam* habent, sed ne hoc quidem satis recte, quamuis Iacobo placuerit. *summa* cum Cusano scribendum est. *futurum*, quamquam ex *futurA* facillime potuerit oriri, tamen, cum reputo quam saepe in re tali apud ueteres scriptores adiectiua cum proximis congruere soleant, loco mouere uix audeo. de altero uero loco Bentleius haec dicit. "Vide modo ista, et litera eadem ter iterata et syllabarum paritate, deformia; *contractis consistunt corpora*, cum alias rotundissimos versus Noster effingat." hoc aurium iudicium est, quo haud scio an nihil intutius. nobis certe hi uersus ita deformitate non

displicent ut aliis multis de quibus non dubitauit Bentleius quin Maniliani essent rotundiores uideantur. pergit Vir Magnus "Quid quod haec praecedentibus repugnent. non enim ex sententia auctoris *ictibus, plagis, uerberibus* terra ab igni et aethere compulsa est, sed ignis et aether sponte sua et ingenita leuitate sursum se ex imo sustulerunt." ecce leuissimum habes argumentum quo spuria illa esse probes (cur enim quis plane abhorrentia et absurda inferret?), sed quo alieno loco uel potius alienissimo posita, firmissimum. quid quod ipsa uerba quasi clamorem tollere uidentur se ad atomorum illas Epicuri conciliationes debere reuocari? de quo Lucretius in libro secundo fusius disseruit; conferenda sunt omnino quae uu. 99—104 de ictu et conciliatu dicit.

totus locus sic refingendus est:

siue indiuiduis in idem reditura solutIS 128
principiis natura manet post saecula mille, 129
ictaque contractis[1] consistunt corpora plagis 171
et concurrendo prohibentur longius ire[2] 172
et paene ex nihilo summa est nihilumque futurum
(*uel* futurA), 130
caecaque materies caelum perfecit et orbem.

I 167.

imaque de cunctis mediam tenet undique sedem.

bene Iacobus: 'neque uersu carere possumus. nam cum deinceps doceamur cur terra sit stabilis, antea stabilem esse docendi eramus.' sed quod ipse commentus est *mediam et* nihil attulit salubre. de igne, de spiritu, de aqua ita dictum est in superioribus ut doceretur primum quem locum unumquodque elementum naturae sorte obtinuerit, deinde ali idem ab eo quod inferius esset, alere uero quod superius. mox ad terram pergit oratio de qua eadem doceri oportet. docebuntur si u. 167 post u. 159 collocatus erit; modo ne u. 160 'conuenitque uagis permixtus limus harenis' quem alienum occupauit locum retinere sinamus. hunc, cum ad posteriora (162 sqq.)

[1] 'breuibus spatiis uexantur ab ictu' LVCR.

[2] exiguis interuallis confulta resultant | indupedita suis perplexis ipsa figuris' LVCR. (confer *prohibentur* quod pro *prohibent in* reposuit Huetius).

pertineret, librarius nescio quis postquam suo motum loco esse intellexit, huc falsa probabilitatis specie pellectus traduxit. uersus 159, 167, 161 hoc ordine se excipere debebunt:

ultima subsedit glomerato pondere tellus 159
imaque de cunctis mediam tenet undique sedem, 167
paulatim ad summum tenui fugiente liquore.

I 428 sq.

hos uersus Bentleius in hunc modum notauit. "Nebulo hic quisquis erat, tam commodam occasionem nactus, noluit *gigantas* dimittere sine dono vel ipsis monstrosiore. voluit tamen hos interseri post versum 428" = 421. illuc igitur transeant, inuerso modo ordine; iam, si quid uideo, nihil habebunt monstrosi:

uastos cum terra gigantas 421
discordes uultu[1] permixtaque corpora partus 429
arma importantes et rupta matre creatos 428
in caelum furibunda tulit.

'at languiduli sunt et quibus facile caruerim.' adsentior tibi quisquis es, modo ne spurios quoque eos esse isto argumento demonstrasse tibi uidearis.

I 433 sqq.

quam propter cetus conuoluens squamea terga
orbibus insurgit tortis et fluctuat aluo
intentans morsum similis iam iamque tenenti.

rectissime ad rem quidem Bentleius: "Atqui tam similis [cetus] est tenenti Andromedam quam qui dimidio caelo ab ea distet. Cicero in Arateis 'Exin semotam procul in tutoque locatam | Andromedam tamen explorans fera quaerere pistrix | Pergit.'" sed uerba dum nimis anxie premit, sententiam poetae non perspexit. translatae in sidera ferae finguntur omnia retinere quae uiuentium quondam propria erant. idem status gestus uoltus, perinde ac si Medusam adspexissent. cetus in terris intentabat morsus, raptus in sidera intentat (nam hic quoque timeret Andromeda *hiatus* eius *uastos*, 356 sqq., nisi in

[1] quidam *uultum*, haud scio an recte.

caelo quoque Perseus suus pristinum amorem seruaret); similis erat iam iamque tenenti, iam iamque tenenti similis est. quid? si alteram ex illis feris quas in saxa conuersas esse Naso fabulatur (*Met.* 7. 785 sqq.) cum haec fugeret, illa sequeretur 'similisque tenenti' non teneret, saxeam iam factam aliquo terrarum asportasses, num illam continuo non 'fugere,' hunc non 'captare putares' (u. 791)?

I 741 sqq.

nec signa insueta tulisse
errantes nutu flammas currumque solutum
deflexum solito cursu curuisque quadrigis.

u. 742 alieno loco esse positum quis est qui non uideat? nam ab interpolatore uenisse exquisitum illud *curuis quadrigis* (*καμπύλον ἅρμα* uel *ὄχημα*) nemo iam, opinor, Bentleio concedet. hoc dispexisse puto Iacobum 743 post 741 transposito. quanto melius si 742 post 739 collocasset! iudicet lector.

fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis 735
Phaethontem patrio curru per signa uolantem
dum noua miratur propius miracula mundi
et puer in caelo ludit curruque superbus
luxuriat nitido, cupit et maiora parente, 739
deflexum solito cursu curuisque quadrigis 743
monstratas liquisse uias orbemque rigenti 740
inposuisse polo; nec signa insueta tulisse
errantes nutu[1] flammas currumque solutum.

I 809 sqq.

sunt alia aduerso pugnantia sidera mundo
quae terram caelumque inter uolitantia pendent,
Saturni, Iouis et Martis Solisque; sub illis
Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus.

hos uu. quos, cum codices alienissimo loco positos ante u. 805 haberent, huc transposuerat Scaliger, pro spuriis damnanti Bentleio ita obtemperauit Iacobus ut a Manilio uenisse uu. 811 et 812 aegre sibi persuadere diceret. tametsi a duobus

[1] *meta* Bentl. fortasse recte.

superioribus condicio eorum segregari non potest, de quibus ille rectissime 'planetarum mentio deesse non potest.' nimirum eum mouerat Bentleiana illa obiurgatio: "Vide porro scabiem istorum versiculorum 'Saturni' et q. s....nonne mirifice dictum *agit* inter venerem et lunam?" mirifice concedo et scabiose; sed librarii culpandi. scriptor dederat '*agit—*VOLatus sicut IV 863 'mundus *agit cursus.*' quae in prioribus notat Bentleius, non magni facienda sunt. "*Planetas* ergo iam primum memorat *ut mundi facies impleatur.*" hoc enim in uu. 805 sqq. Manilius sibi proposuit faciendum. "Atqui supra eorum mentionem fecerat iisdem pene verbis ut versu 259 'atque alia adverso luctantia sidera mundo,' et I 668 'et quinque adverso luctantia sidera mundo,' ubi notandum quinque tantum numerari, hic vero solem lunamque addi; quasi sol et luna hoc primum loco, non iam saepe antea, nominati sint.' hic illud *primum* Bentleius de suo addidit. planetas prius obiter poeta, nunc suo loco memorat. in u. 670 quinque numerat; nam Lunae Solisque mentio in uu. 668, 669 praecesserat: sed in u. 308, quod fugisse Bentleium uidetur, septem, 'sidera septem | per bis sena uolant contra nitentia signa.' neque illud praetereundum est in u. 813 'sunt *etiam*' a codicibus esse neque offensionis habere quicquam nisi quod cum Bentlei rationibus nullo modo congruat.

I 889 sq.

lassus defecerat ignis
et coaceruatis ardebant corpora membris.

de u. 890 "Quomodo, sodes," inquit "ardebant, si ignis iam defecerat?" rescribendum NEC, cum *et* centies centiesque confusum, ex. gr. IV 824.

II 70 sqq.

non esset statio terris, non ambitus astris
haereretque uagus mundus standoque rigeret
nec sua dispositos seruarent sidera cursus
noxque alterna diem fugeret rursumque fugaret.

u. 71 sane sensu cassus est, sed emendandus, non abiciendus: scribe

ERRAretque uagus mundus standoVE rigeret.

nisi prudentia mundum regeret, periculum erat ne astra certo illo suo ambitu intermisso, aut huc illuc licenter errarent aut omni motu prorsus carerent. sequentem uersum ita seruabat Bentleius ut audacius *uaga* pro *sua* reponeret. non tanti erat. *sua* pro 'eius' positum falsarium arguit et Latine illum quidem nescientem. Bentleianae emendationi illud non obiecerim quod 'uagus' uix ullo interuallo 'uaga' sequatur. huiusmodi enim permulta apud ueteres reperiuntur.

II 424 sqq.

at non Lanigeri signum Libraeque repugnat
in totum, quia uer autumno tempore differt, 425
sed ratione pari est aequatis nocte diebus. 427
fructibus hic implet maturis, floribus illud, 426
temporaque efficiunt simili concordia textu.

sic ordinandi sunt hi uersus. in uersu 427, qui in se nihil habet quod displiceat post u. 425 sequi iussus, *tempore* et *ratione* inter se opponuntur ut Graece *χρόνῳ* et *λόγῳ*, quo uix ullum notius apud philosophos *ἀντίθετον*. Arietis Libraeque signa temporis interuallo quam maximo inter se distant, rationem uero cum eorum inspicias, et noctium dierumque spatiis aequatis et donorum similitudine proxima uidentur.

II 530 sqq.

idcirco et cedunt pecudes quod uiribus amplis 530
consilium est maius. uictus Leo fulget in astris;
aurea Lanigero concessit sidera pellis;
ipse suae parti Centaurus tergore cedit.
usque adeo est hominis uictus quo mirer ab illis
nascentis Librae superari posse trigonum. 535

haec difficilia et corrupta esse negari non potest: sed spuria esse nullo minus argumento efficitur. rem propius inspiciamus. conferuntur inter se trigona duo, Librae scilicet Arietisque. Librae trigonum ex his tribus constat signis, Libra Geminis, Aquario; Arietis ex his, Ariete, Leone, Sagittario uel Centauro. haec illis aduersa et contraria sunt, pecudes scilicet hominibus (unde etiam ab illis uincuntur), nec singula tantum singulis sed etiam trina trinis. quocirca trigonum Arietis a

trigono Librae superatur. de uerbis ut uideamus, recte Iacobus in u. 534 *homini* pro *hominis* reposuit, in reliquis idem a uero aberrans. quae tamen emendare non multi laboris erit:

ipse suae parti Centaurus tergore cedit;
usque adeo est homini uictus. quID mirer ab illis
nascentis Librae superari posse trigonum?

'Leo antequam astris accederet ab Hercule uictus est, Aries uellere spoliatus a Phrixo; ipse etiam Centaurus homini ob tergus ferinum cedit et totus a parte sui superatur. usque adeo homine minor est. cur mirum sit trigonum ab illis (scil. Leone, Ariete, Centauro) nascentis trigono Librae posse superari?' dura haec sunt, inquis, et argutiis peruersa. Manilium culpas, apud quem prauiora multa inuenies. 'a trigono nasci' dicitur 'trigoni partus' uel 'trigono natus'; confer ex. gr. 548, 560, 561. *LibrA* mallem si legentibus consulerem. sed *Librae superari* fortasse a Manilio uenit ut *homini uictus*; cf. I 759 'terraeque remissa,' IV 896 'cuiquam genitos.' *suae parti* pro 'sui parti,' in quo non mirum est offendisse Bentleium, legitur etiam in IV 885 *pars sua.*

II 594

uenales ad fata patres matrumque sepulcra.

color huius uersus plane Manilianus est: uerba cum hoc sibi uelint, 'patres quos nati sui mercede accepta ad exitium tradunt matresque a filiis necatas,' olim eum post u. 596 extitisse in promptu est suspicari, poterit autem etiam alio traduci, ut de loco melius sit nihil adseuerare. sequentem uersum quis scripserit et quo loco parum liquet. de lacuna (post u. 593) Iacobus cogitauit.

II 619 sqq.

at quum Lanigeri partus sub utroque trigono
non parcit sed rara gerit pro tempore bella
quod feritas utriusque magis pro tempore cogit.
plus tamen in duplici numerandum est roboris esse,
cui commixtus homo est quam te, Nemeaee, sub uno.
idcirco et pax est signis et mixta querella.

ex his uu. 619—621 damnauit Bentleius. "Nihil enim" inquit "in his tribus est quod non antea dictum sit. *Partes*

[quod Scaligeri inuentum est] "vero *gerere* quis umquam dixit? .....Quid, quod, *sub utroque trigono*, barbare dictum, pro utroque angulo unius trigoni?" illo de argumento purgato demum loco uidebimus; ad hoc satis sit respondisse *utroque trigono* idem sibi uelle atque 'utroque triangulo signo.' nam trigona signa trigonum efficiunt ut quadrata quadratum, neque dissimile quod scripsit Manilius u. 555 'Chelis quod utrumque quadratum est,' hoc est 'utrumque cum Chelis quadratum efficiunt.' de Maniliano illo *sub* dicere uix opus est; consule Iacobi indicem.

totius loci sententia manifesta est, genitis Ariete cum Leone et Sagittario genitis neque pacem semper neque bellum esse, quia pro tempore tantum feritas horum insurgat. in uerbis corrigendis primum pro *at cum*, duce Gemblacensi qui *atquin* praebet, *atQVI* emendandum est. similiter apud Plaut. *Rud.* 760 (III 4 55) *atqui* in *atquin* corruptum est. mox *partus*, dummodo sincerum sit (quod nullus dubito), corruptelae et *parcit* et *gerit* arguit. constanter enim in re tali pluraliter a Manilio effertur. pro *gerit* olim *gerunt* correctum est, pro *parcit* mecum *paCEM* rescribe, quod optime cum u. 624 congruet. Manilianam locutionem Sallustius tuebitur, qui *Iug.* 46. 8 'pacem an bellum *gerens*' scripsit. quis uero interpolator tale quicquam ausurus erat? iam *cogit* suspicioni obnoxium est. neque enim, quod in IV 84 legitur 'coguntur tanta moueri,' satis simile uidetur et ex u. 619 fine huc irrepere omni modo potuit. tum ne illud quidem neglegendum est pro *magis* Vossianum II *uemens* praebere, glossema illud quidem sed perantiquum. hoc qui adscripsit non *magis cogit* sed aliud quid in codice suo legerat; alioquin *uementer* scripsisset. hoc *SVRgit* fuisse puto. restat *esse* (622) quod Ellisio quoque rectissime displicuit. hoc sollemnis peperit confusio, cum *IPse*, hoc est *etiam*, prius fuisset. locus sic tibi redditur:

atquI Lanigeri partus sub utroque trigono
non PACEM sed rara gerunt pro tempore bella,
quod feritas utriusque magis pro tempore SVRGIT.
plus tamen in duplici numerandum est roboris, IPSE
cui commixtus homo est quam te, Nemeaee, sub uno.
idcirco et pax est signis et mixta querella.

II 943 sqq.

haec tua templa ferunt Maia, Cyllenie, nate
O facies signata nota [quod nomen et ipsi
auctores tibi dant artis] quae ducit Olympum.

uu. 944 et 945 pro spuriis damnauit Bentleius cui, quod quidem ad uerba 'quod—artis' attinet, nemo, puto, refragabitur. Cyllenii, seu mauis Maia nati, nomen apud ipsos astrologos in usu esse nescio quis futtiliter adscripsit. de ceteris uidendum. quae si adficta sunt, cuculus ille, ut uerbo utar Bentleiano, in cuculi, quod mireris, nidum oua deposuit. rem de qua loquitur scriptor aeque mihi atque aliis ignotam esse fateor; uerba interpretor; quae hoc sibi uolunt: 'templa Mercurii ea littera, scilicet *O*, notata sunt, quae in *O*lympo prima est.' 'signata' pro 'signata *est*' accipiendum, nisi forte maluerit quis *faciem* conicere.

III 537 sqq.

sunt quibus et caeli placeat nascentis ab horae
sidere quem memorant horoscopon inuenturos,
parte quod ex illa discribitur hora diebus,
omne genus rationis agi per tempora et astra.

u. 538 spurium esse Bentleius aliis quoque persuasit; sed ne praepostera res fiat, prius emendandus atque interpretandus est uersus quam de auctore eius iudicandum. scribe:

sidere quem memorant horoscopon INVENTORES.

iam u. 539 nihil aliud quam rei in priore uersu memoratae causam adfert. itaque spurius aut neuter aut uterque[1]. quae in priore reprehendit Bentleius, aut infirmiora sunt (*σπονδειάζοντας* enim alibi quoque Manilius adhibet sicut in I 382, V 412), aut in emendatum uersum non cadunt. unum me mouet, quod nemo uel fando audierit *sidus horae*; quod argumentum tum demum dilui posse uidebitur, cum *horae* quis ita emendauerit ut cum *sidere* congruere possit. hoc futurum sane diffido. expulso hinc utroque quid pro *horae* scribi debuerit haud facile diiudicare est: et Bentleianum *ortu* et Ellisianum *ore* habent quo commendentur.

[1] hoc iam uideo a Breitero adnotatum esse.

IV 243 sqq.

hic in u. 248 sqq. Bentleius Scaligerum festinantius secutus, cum ad alchymiam quam uocant spectare sumpsisset, a Manilio talem non esse facile comprobauit. hoc enim quasi caput est, cetera minora recisoque illo et ipsa in uanum recident. ad omnia breuiter respondebo. auctorem nostrum numquam *exurere* et *duplicari* actiuum et passiuum sic simul coniuncturum fuisse dicunt. sed ne hic quidem coniunxit. abrupta uidetur sententia. abruperunt librarii. quid multa? ueritati proxime ipse Bentleius u. 248 post u. 249 transponebat, quamuis "velut ex alchymistae furno quasi recoctum ut pene alius videretur." recoxit enim ut Medea Peliam, cum sic exhibuit 'materiamque *rudem* cara duplica*ver*i*t* arte.' locus leniori medicinae melius respondebit, sanatusque sic prodibit:

Vesta tuos, Capricorne, fouet penetralibus ignes. 243
hinc artes studiumque trahit; nam quicquid in usus
ignis eget poscitque nouas ad munera flammas,
sub te censendum est: scrutari caeca metalla
depositas et opes terramque exurere uenis; 247
quicquid et argento fabricetur quicquid et auro 249
materiamque manu certa duplicariT et arte, 248
quod ferrum calidi soluant atque aera camini
consummentque foci Cererem, tua munera surgent.

de sententia conferenda sunt quae dixit uu. V 507 sqq., loco a Bentleio adlato 'artifices auri faciet qui mille figuris | uertere opus possint caraeque adquirere dotem | materiae.'

IV 266 sqq.

u. 269 ad u. 266 spectare iam Scaliger perspexit, cum huic illum praeponeret: mallem hunc illi, ne sine ulla necessitate fingeretur Manilius de artibus quas fouet Aquarius primum singillatim (uu. 260—265), deinde generatim (uu. 266 et 269) dixisse, mox rursus ad singulas (267, 268) recurrisse. ipsum u. 269, qualis quidem in codicibus traditur, ineptum et spurium Bentleio uisum esse haud equidem miror, multo magis a ceteris editoribus posse eum concoqui. illud *quae* quam inconcinne dictum! *artes* hic habere putasses; ecce rota currente *opera*

tibi euadunt. hoc si uoluit poeta, cur *ueniunt operum* scripsit cum *operum ueniunt* deberet? concinnius et elegantius, ut opinor, dixit ille *NAVAnt operAm.* mox a Salmasio *fontes* accipio ne *pontes* 'mille' sequantur 'artes.' locus sic nobis euadet:

ille quoque inflexa fontem qui proicit urna 259
cognatas tribuit iuuenalis Aquarius artes: 260
cernere sub terris undas, inducere terris *et q.s.*
et peregrinantes domibus suspendere riuos. 265
quippe etiam mundi faciem sedesque mouebit 267
sidereas caelumque nouum uersabit in orbem.
mille sub hoc habitant artes quas temperat unda; 266
quae per aquas NAVANT operAm fontesque sequuntur. 269
mite genus dulcesque fluunt ad sidera[1] partus.

IV 498 sqq.

hae partes sterilem ducunt et frigore et igni
aera uel sicco uel quod superauerit umor,
si rapidus Mauors ignis iaculatur in illum 500
Saturnus sumet glaciem Phoebusue calores.

haec, enumeratis quae singulis in signis partes noceant, de omnibus accipienda Manilius subiungit.

uu. 500 et 501 pro spuriis damnat Fayus, quem sequitur etiam Iacobus, haec adnotans: 'cum ceteris interpretibus spurios iudico quum planetarum doctrinam in libros aut non servatos aut non absolutos reiecerit.' miror hominis sagacitatem qui, cum de libris istis tam nihil se scire profiteatur, hos uersus istinc non uenisse pro certo sciat. uerum enimuero hi uersus ad 'partium' notitiam non minus quam ad planetarum doctrinam pertinent, ut nulla iusta causa sit cur ex hoc tamquam ex alieno loco furcis eiciantur. magnus certe eorum uindex Bentleius qui eos 'auctoris esse dicit et illos liberali causa manu asserit.' hi enim si recidentur, reliqua manca et mutila sunt. par utrorumque condicio; una abeant, una maneant. quae in uerbis corrupta sunt, pleraque emendauit

[1] *ad sidera*, si quidem sanum est (Bentleius enim non sine ueri specie *ab sidere* coniecit), cum Ellisio interpretandum 'ad sideris aquas profundentis similitudinem.'

Bentleius '*rapidos—Saturnus*ue—ua*pores*.' *si* tamen sine necessitate in *seu* mutauit. *sumet* dissoluit in *ue suam*, hoc elegantius, ut opinor, quam uerius. detractis enim de litteris *ue* quae *Saturnus* subiungi sibi postulat, supersunt *smt* quae ad *serit* potius uidentur accedere. hoc si a nobis accipies, uersus sic leges:

si rapidos Mauors ignis iaculatur in illum
Saturnusue SERIT glaciem Phoebusue uapores.

IV 539 sq.

tanta fames animumque cibi tam dira cupido
corripit, ut capiat semet nec compleat umquam
inque epulas funus reuocet pretiumque sepulcri.

haec de homine guloso suas opes lacerante ad Erysichthonis fabulam spectare recte monet Ellisius. idem Bentleio *capiat* impugnanti "Quid uero est *capiat semet*? Explicet hoc qui audebit" cedendo rem melius egisset; aliter enim dictum *accipere* apud Ou. *Met.* 8 841. pro *capiat* scribe *caRPat* collato eodem Nasonis loco et 877 sq. 'ipse suos artus lacerans (*uel* lacero) *diuellere* morsu | coepit et infelix *minuendo* corpus alebat' et 847 sq. 'cibus omnis in illo | causa cibi est semperque locus fit inanis edendo.' fuerit fortasse qui hic *rapiat* malit. quocirca quid inter utrumque intersit exemplo docendum. apud Propertium 3 (4). 17. 24 'Pentheos in triplices funera grata greges' Passeratius *rapta* alii *carpta* temptauerunt. illud recte. maiorum enim uirium Penthei illa distractio quam pro minutatim carpentibus. testis sit etiam Ouidius *Met.* 3. 722 'Inoo lacerata est altera *raptu*.' in u. 541 singularem lectionem testari uidetur Gemblacensis cum *retitet* praebeat, adsentiente quodam modo Lipsiensi qui '*retitet* al. *reuocet*.' hinc Ellisius eruit *-que litet*; et illud quidem rectissime, *litet* uero minus feliciter. neque enim quem Senecae laudat locum, *Med.* 1019 'plura non habui, dolor, | quae tibi litarem' satis similis uidetur, et illud *uocet* quod multos codices occupauit, unde irrepserit, nullo modo explicari poterit. in *titet* latere uidetur *citet*, h.e. *uocet*, uel *cIet*, durius utrumque dictum ut hoc quidem nomine Maniliano ingenio accommodatum dici possit. cf. quae infra ad V 54 dicentur.

IV 579 sqq.

scilicet in piscem sese Cytherea nouauit,
cum Babyloniacas summersa profugit in undas
anguipedem alatos umeros Typhona ferentem.

uersum 581, nisi aliter iudicasset Bentleius, Manilianum uigorem spirare, ut quem maxime, dixissem. de falso barbarismi crimine iam dixit Ellisius. hoc tantum addo, non coniungenda esse uerba 'profugit Typhona in undas'; sed 'in undas summersa,' seu quod aliud participium pro 'summersa' malis legere, et 'profugit Typhona,' utrumque sine offensione. de alato Typhone post Kuhnertum (in *lexico Roscheriano* s. u. *gigantes*) et Ellisium nihil opus est dicere. mire sane Bentleius "frustra enim montes montibus imposuissent...si recta illuc evolare potuissent," ad historiae normam fabellas portentosas reuocans. unum est quod scrupulum mihi iniciat, fortasse iniuria, *ferentem* pro 'inferentem' dictum. uidendum est ne *ferentes* scripserit Manilius.

IV 873 sqq.

uersum 882

quanta et pars superest rationem discere noctis

alienum hic esse senserunt et Scaliger et Bentleius, ac Scaliger quidem eum post 876 reposuit, "eam, opinor, ob causam," ut Bentleius ait "quia nihil erat, quo referri posset illud *descendere*" (u. 877): at ipse Bentleius ut *descendere* et quae secuntur laborantibus succurrat, pro *et munera caeli* u. 876 '*est munere caeli*' legit, nostro uero de uersu sic iudicat: "irreptitius et insulsus est et neutri loco conuenit. Difficile vero et magni faciendum, *noctis rationem discere*; quam vel in primo libro Auctor docuerat." *noctis* illius, ut uides, taedebat, neque immerito; quam qui post illum interpretari uolunt, de suo omnes aliquid largiuntur, uelut Ellisius et 'noctis *et siderum*': unus quod sciam Breiterus in malam rem abire iubet et *nostis* coniectando structurae quoque dissolutae subuenire conatur; sed quae excogitauit *rationem ducere nostis* ceteris non nisi ui aliqua aptari poterunt. de infinitiuo uero Ellisius, ut eum praeteream qui 'descendere' ad 'iuuat' (di boni!) uoluit referre, uix satis recte iudicauit cum ex uerbis 'perspicimus

—munera caeli' pendere dixit. nam ut taceam de 'perspicimus descendere' ut idem sit ac 'descensionem' durius dicto, non ipsum illud 'descendere' caeli munus uocat poeta, sed descendendo nos caeli munere uti iubet. recte tamen Scaligero duce *quanta* idem atque 'quantula' (quod coniecit Rossbergius) significare dicit. pro *et* ille *ea* reponit, nobis uero magis placet EN. quid multa? in his uersibus, quod Scaliger uidit, habes membra capite carentia (quod etiam illud 'in*que*' praegressum esse aliquid simile cui cohaereat uociferatur); habes caput proiectum et uili pensum. quin aliquando tandem poetae mortuo reddis debita, coniungendo diuolsa, uolnera componendo? id ut fiat, mecum uelim pro *noctis* reponas *in* ASTRIS et uersus sic in ordinem reducas:

quid iuuat in semet sua per conuicia ferri 873
et fraudare bonis quae nec deus inuidet ipse?
quosque dedit Natura oculos deponere mentis?
perspicimus caelum; cur non et munera caeli? 876
quanta EN pars superest rationem discere IN ASTRIS 882
inque ipsos penitus mundi descendere census 877
seminibusque suis tantam componere molem
et partum caeli sua per nutricia ferre
extremumque sequi pontum terraeque subire
pendentis tractus et toto uiuere in orbe.
iam nusquam Natura latet. peruidimus omnem
et capto potimur mundo, nostrumque parentem
pars sua perspicimus genitique accedimus astris[1]. 885

IV 886 sqq.

iam sequitur locus uexatissimus:

an dubium est habitare deum sub pectore nostro
in caelumque redire[2] animas caeloque uenire?
utque sit ex omni constructus corpore mundus
aetheris atque ignis summi terraeque marisque,
spiritum et toto rapido quae iussa gubernat, 890
sic esse in nobis terrenae corpora sortis
sanguineasque animas animo qui cuncta gubernat
dispensatque hominem?

[1] *astris* et cum *accedimus* coniungendum et cum *geniti*; cf. adnotata ad II 535. [2] *uenire* codd.

de u. 890 recte Ellisius, Iacobo ceterisque adsentiens, "Bentleius, ut spurium eiecit, quamvis sublato isto desit aliquid ad comparationem." hunc enim uersum qui eicit, totius loci sententiam funditus subruit atque euertit. quod excusso poetae argumento luce clarius apparebit.

omnia quae hic disputat Manilius ex ipsa Stoicorum disciplina petita sunt. Stoicorum primum illud paene proprium est mundi naturam naturae hominis quasi par pari respondere, ita ut utrimque de utroque peti possint argumenta. Cornutus, ut pauca de multis seligam, eaque huc maxime pertinentia, *de nat. deorum* cap. 2 p. 7 (ed. Villoison) ait *ὥσπερ δὲ ἡμεῖς ἀπὸ ψυχῆς διοικούμεθα, οὕτω καὶ ὁ κόσμος ψυχὴν ἔχει τὴν συνέχουσαν αὐτόν*: Seneca *Ep.* 65. 24 '*quem* in hoc *mundo* locum *deus* obtinet, *hunc* in *homine animus*; quod est illic materia, id in nobis corpus est.' deinde Stoicorum est spiritus mundi permeator gubernatorque: Tertullianus *Apol.* 21 'haec Cleanthes in *spiritum* congerit quem *permeatorem uniuersitatis* affirmat'; Athenagoras *Supplic.* c. 6, p. 7 B, *οἱ δὲ ἀπὸ τῆς στοᾶς, κἂν ταῖς προσηγορίαις κατὰ τὰς παραλλάξεις τῆς ὕλης δι' ἧς φασι τὸ πνεῦμα χωρεῖν τοῦ θεοῦ πληθύνωσι τὸ θεῖον τοῖς ὀνόμασι, τῷ γοῦν ἔργῳ ἕνα νομίζουσι τὸν θεόν. εἰ γὰρ ὁ μὲν θεὸς πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσεις κόσμου ἐμπεριειληφὸς ἅπαντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους καθ' οὓς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίνεται τὸ δὲ πνεῦμα αὐτοῦ διήκει δι' ὅλου τοῦ κόσμου, ὁ θεὸς εἷς κατ' αὐτούς κ.τ.λ.* huius animae mundi nostra anima ut pars ita similis est; Hermias *irris. gentil. phil.* c. 7 (de Cleanthe) *τὴν δὲ ψυχὴν δι' ὅλου τοῦ κόσμου διήκειν ἧς μέρος μετέχοντας ἡμᾶς ἐμψυχοῦσθαι.* Manilio eadem placuisse ab ipso discimus; I 247 sqq. 'hoc opus immensi constructum *corpore* mundi | membraque naturae diuersa condita forma | (aeris atque ignis terrae pelagique iacentis) | *uis animae diuina* regit sacroque meatu | conspirat deus et tacita ratione *gubernat*' (loco nostri simillimo) et uu. qui nostros secuntur 'quid mirum, noscere mundum | si possunt homines, quibus est et *mundus in ipsis* | exemplumque dei quisque est *in imagine parua*?' est enim ut in corpore, sic in anima quoque pars quae cetera regat et gubernet, nullumque ex Stoicorum placitis magis notum est quam illud *τοῦ ἡγεμονικοῦ* quod et in

mundo et in homine aeque adpareat. Sext. *Math.* IX 120 *ὥστε ἐπεὶ καὶ ὁ κόσμος ὑπὸ φύσεως διοικεῖται πολυμερὴς καθεστώς, εἴη ἄν τι ἐν αὐτῷ τὸ κυριεῦον καὶ τὸ προκαταρχόμενον τῶν κινήσεων*, Nemes. *de Nat. Hom.* p. 96 *Ζήνων δὲ ὁ Στωικὸς ὀκταμερῆ φησιν εἶναι τὴν ψυχήν, διαιρῶν αὐτὴν εἵς τε τὸ ἡγεμονικὸν καὶ εἰς τὰς πέντε αἰσθήσεις καὶ εἰς τὸ φωνητικὸν καὶ τὸ σπερματικόν*, Sext. *Math.* VII 234 *φασὶ γὰρ ψυχὴν λέγεσθαι διχῶς τό τε συνέχον τὴν ὅλην σύγκισιν καὶ κατ' ἰδίαν τὸ ἡγεμονικόν*, Diog. Laert. VII 159 *ἡγεμονικὸν δὲ εἶναι τὸ κυριώτατον τῆς ψυχῆς ἐν ᾧ αἱ φαντασίαι καὶ αἱ ὁρμαὶ γίνονται καὶ ὅθεν ὁ λόγος ἀναπέμπεται*. Stoicos igitur secutus poeta hic *animum* (*τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς* uel etiam *τὴν κυβερνῶσαν* ut a M. Aurelio uocatur, VII 64, uel *τὸ κυριεῦον καὶ κρατοῦν τῆς ψυχῆς μέρος*, ut a Chrysippo ap. Galenum *de plac. Hipp. et Plat.* V 328 K.) ab *anima* reliqua secernit; dux, ut uidetur, Lucretius, III 116 sqq. conlatis cum 280 sqq. ubi ille loquitur de *ἀκατονομάστῳ* illo, ut Epicuri uerbo utar, unde initium motus singulis animae corporisque membris didi contendit. hanc animam 'sanguineam' esse canit, quod et ipsum e Stoicorum doctrina sumpsit cum Chrysippi decretum esset [*τὴν ψυχὴν*] *τρέφεσθαι μὲν ἐξ αἵματος οὐσίαν δὲ αὐτῆς ὑπάρχειν τὸ πνεῦμα* teste Galeno *plac. Hipp. et Plat.* II 8 (V 283 K.). conferendus quoque M. Aurelius V 33 *αὐτὸ δὲ τὸ ψυχάριον ἀναθυμίασις ἀφ' αἵματος* (adde VI 15) et Galenus IV 506 K. *εἰ δὲ τῆς τοῦ αἵματος ἀναθυμιάσεως εἰς θρέψιν χρῄζει τὸ ψυχικὸν πνεῦμα*. itaque totius loci sententia sic expedienda est: 'ut in mundo sunt membra, est spiritus diuinus qui totum gubernat, sic in nobis quoque est sortis terrenae corpus et anima quae a sanguine alitur, est animus utriusque gubernator a quo toti regimur dispensamurque.'

de rebus satis dictum: nunc de uerbis dicendum. recte primum Bentleius *est*[1], quod ratio postulat, pro *sit* reposuit.

[1] hoc scripseram cum nondum intellexissem fuisse qui indicatiuum in oratione obliqua Manilio negaret (Tappertzius *de coniunctionum apud Manilium usu* 1892, p. 24). is cum III 385 'uarientur' pro 'uariantur' legat, fortasse hoc quoque loco 'gubernat' (892) et 'dispensat' (893) moliatur. quod tamen neque ut ratio ei constet necesse est neque legentibus, ut opinor, facile persuaserit. quod cum indicatiui pro subiunctiuo sum-

nam cum istae uoculae altera in alteram alibi quoque abeunt, tum hic illud *ut* ansam dedisse nouandi haud absurde suspiceris. *spiritus* (890) pro *spiritum* olim emendatum est. *et* ex *EST*, sicut alibi sexcenties, a librariis deprauatum est. *totum rapido*, si contuleris quod et Vossianus et Matritensis et Cusanus (*toto rapidVM* mutatis inter se uerborum finibus) et Gemblacensis (*toto rapido*, priore uerbo in posterioris similitudinem mutato) testantur, in archetypo fuisse consentaneum est. ex his *totum* a codicibus accipe, *rapido*, quod nihil est, in *rapidE* mutato. mox pro $\bar{q}$ (= *quae*) leuissima mutatione *p* quod est *PER* rescribe. ex *gubernant gubernent gubernet* eliciendum *gubernANS*. postremo in u. 892, cum neque grammatica ratio nec sententiae nexus nec id quod uersui 891 respondeat usquam appareat, haec omnia sic suffici poterunt; pro 'sanguineasque anim*as* animo' scribatur 'sanguineaMque animaM ESSE aniMVM.' 'esse' cum 'animam' in unum conflatum initium fecit corruptelae. tum 'sanguineamque animas' non potuit quin in 'sanguineasque animas' abiret: secutum 'animo' quod et ipsum pro 'animū' facile inferri poterat.

locum sic dimittimus:

> an dubium est habitare deum sub pectore nostro
> in caelumque redire animas caeloque uenire,

mutati incidi in mentionem, non praeterierim rem memoria quadam dignam, Romanos aliquot poetas in philosophorum quaestionibus, praesertim physicorum, enarrandis indicatiuo pro subiunctiuo de industria abuti. multos abhinc annos Properti 3. 5. 25—44 cum Aetnae loco (219—247, cf. etiam 276—282) ad hoc ipsum contulimus (*Select Elegies of Propertius, Introduction*, p. cxlvi n.). sed idem etiam alii secuti sunt Tibull. 2. 4. 17 sq., 'nec refero Solisque uias et qualis ubi orbem | compleuit uersis Luna recurrit equis,' *Paneg. Messal.* 18 sqq. 'alter dicat opus magni mirabile mundi, | qualis in immenso *desederit* aere tellus, | qualis et in curuum pontus *confluxerit* orbem | et uagus e terris qua surgere *nititur* (Baehrens male *quiuerit*) aer, | hinc ut praetextus (sic legendum) passim fluat igneus aether | pendentique super claud*antur* ut omnia caelo,' Pers. 3. 66—72 'discite io miseri et causas cognoscite rerum | quid *sumus* et quidnam uicturi *gignimur*?...quid asper | utile nummus hab*et*? patriae carisque propinquis | quantum elargiri dec*eat*? quem te deus esse | iuss*it*.' ceterorum uestigia premit etiam Claudianus *carm. min.* 29 (de Magnete) 1 sqq. 'Quisquis sollicita mundum ratione secutus | semina rimatur rerum, quo luna labor*at* | defectu, quae causa iub*et* pallescere solem, | ...unde fluant uenti, trepidae quis uiscera terrae | concutiat motus' *et q. s.*

utque *est* ex omni constructus corpore mundus,
aetheris atque ignis summi terraeque marisque,
spiritus EST totum rapidE PER iussa gubernANS,
sic esse in nobis terrenae corpora sortis
sanguineaMque animaM, ESSE animuM qui cuncta gubernat
dispensatque hominem?

haec sunt quae de locis a Bentleio iniuria pro spuriis damnatis dicere habuimus nisi quod in hunc numerum accedere debebunt libri quinti quinque loci 302, 338 sq., 483, 494, 530 sq., de quibus in capite II dicetur. multa spuria in Manilio tradi, in eoque numero quaedam Bentleio non suspecta, nullus dubito. sed omnes probabilitatis numeros euagatus est uir doctus cum CLXX uersibus theta praefigeret.

CAPVT II.

DE LOCIS CORRVPTIS.

I 242—245

hanc ubi ad occasus nostros sol aspicit †ortus,
illic orta dies sopitas excitat urbes,
et cum luce refert operum uadimonia terris,
nos in nocte sumus somnosque in membra uocamus.

operum uadimonia quis umquam fando audiuit? scribe *operA ET* (uel *AC*) *uadimonia.* quae bene inter se opponuntur. opera enim rusticorum sunt, uadimonia urbanorum. color loci Vergilianus est, cf. *Aen.* 11. 182 sq. 'Aurora interea miseris mortalibus almam | extulerat lucem, *referens opera atque labores.*' uocula utraque in codicibus manu scriptis cum *-m* confunditur. utrique errori sua causa est: alteri litterarum M et AC similitudo quas minimum distare monet Lachmannus ad Lucr. 5. 241, quo loco 'natiuo *ac*' pro 'natiuo*m*' ipse, cum Naugerii esse diceret, reposuit, Auancius 'natiuo *et*' coniecerat quod minus placet ob 'mortalibus' in 'ac ortalibus' corruptum in codicibus (ib. 6. 10); alteri litterae *m* uerbum terminantis species ad notam qua *et* significatur propius accedens. hoc in Properti loco (4. 11. 21) 'iuxta Minoida sellam,' ubi codices partim 'sella' praestant ex 'sellā' ortum, partim 'sella *et*' ex 'sellaȝ' animaduertisse utile sit.

I 269 *dErigit* scribendum, cf. ea quae a Nettleshipio disputata sunt *Contributions to Latin lexicography* s. u. *derigo.* et sic derectus 284, IV 601.

I 469—471

praecipue medio cum luna implebitur orbe
certa nitent mundo; cum luna conditur omne
stellarum uulgus, fugiunt sine nomine signa.

nihil minus. ita enim non conduntur cum luna ut, cum luna condatur, tum demum appareant. hoc corrigi poterit, si ita distinxeris: 'certa nitent mundo cum luna, conditur omne | st. u.' sed quia *cum luna* quo loco in superiore uersu legitur, eodem loco in hoc iteratum suspicionem habet, fortasse emendandum *ꝯum lunaE*; hoc est, luna condit stellas uel facit ut condantur. de datiuo uide quae ad II 535 iam diximus.

I 637—9

seu si quis Eoos
seu petit Hesperios, supra se circinat orbem
uerticibus super adstantem *et q. s.*

in 637 *seu* (uel *ceu*) *si quis* codices, 'nam seu quis' Bentleius; sed facilius et argutius *SIC SEV quis.* *σιγματισμὸν*, sicut uides, hic sectatur Manilius.

I 778 sqq.

Tarquinioque minus reges et Horatia proles,
tota acies partus. nec non et Scaeuola trunco
nobilior, maiorque uiris et Cloelia uirgo.

tota acies partus. si plures simul nati intellegendi sunt, non debuit abesse 'unus.' quid quod ipse Manilius alio ducit qui IV 34 sq. haec habet '*tres*que sub unius fratres uirtute iacerent: | nulla *acies* uicit tantum'? scribendum igitur *PER TRIS.* *p̄* compendium et *par-* et *per-* significare notum est; et *tris* accusatiuus, apud Manilium sollemnis, ne de ipsa praepositionis usurpatione dicam de qua copiosissime egit Iacobus (Ind. *s. u.*).

maiorque uiris et Cloelia uirgo. hoc *et* Monacensis praestat, ut alibi quoque, interpolans uel saltem ex uersu superiore hauriens, *eocolia* uero G, L, C, profectum ex *cocolia*, hoc est *ꝙvo Cloelia*; neque enim 'maior uiris' erat Cloelia, qui pote? quae cum 'Mucius uulneribus uictor urbem repetisset, Horatius solus oppositis armis pontem urbemque simul clausisset,' ut ait Manilius, ipsa tantum foedera transnando flumen rupisset; sed uiris erat maior eo quod uirgo erat. nam feminas multo imbecilliore esse ingenio quam uiros Manilius sibi persuaserat; quod uel ex V 180 sq. patet 'uincentemque uiros et quem potuisse uidere | uirgine maius erat sternentem uulnere primo.'

I 794 sq.

et censu Tullius oris
emeritus caelum et Claudia magna propago

caelūm et hiatus cum breuis uocalis productione (uide Priscianum, I 23. 13) non ferendus. quae alia eiusmodi proferuntur a L. Muellero (*de re metrica* p. 377) exempla, aut emendata iam sunt, sicut Properti 'o me felicem! o nox' (*nox o*) quod certe excusationem aliquam orationis elatione haberet, eiusdem 'ante illam <iam> impune et Lesbia fecit,' aut interpolata ut Tib. I 5 33. hic, quia exciderat post ca*elum* <*TVM*>, in amissae particulae locum librarii *et* infulserunt.

I 843 sq.

partosque capillos
mentitur paruos ignis glomeratus in orbes

paruosque capellos M. sed quas Aristoteles *αἶγας*, Seneca 'capras,' cur Manilius nulla metri necessitate 'capellos' dixerit, cum praesertim id uerbum apud auctores bonos nusquam reperiatur? quid de illo *paruos* dicam quod plane superest? an a M codice totiens interpolatore inuitis ceteris recipiendum? incorrupti tradunt *partos* uel *partes* (V_2) et *capillos* (nisi quod *capellos* L olim), unde nullo negotio elicere poteris *partVsque capRINos*.

II 4 sq.

erroremque ducis totidem quot uicerat annis
instantem bello geminata per agmina (*uel* aequora)
ponto

loci quamuis corrupti sententia manifesta est, Vlixem quot sub Troia pugnando, totidem per mare errando consumpsisse annos. colorem ex Propertio, ut saepius, poeta noster duxisse uidetur; III (IV) 12 23 sqq. 'totque hiemis noctes totque natasse dies (28).....et ueteres arcus leto renouasse procorum | errorisque sui sic statuisse modum' (35 sq.). quin illud ipsum *errorem ducis* (hoc est ducem errabundum) Propertianum est; I 20 15 sq. 'miser...error...Herculis.' itaque ex illo *instantem*, quod nemo adhuc explicuit nec puto explicabit, *inNantem* tibi facile nascetur. 'innare' de nauigio, de nauigatore, de natatore promiscue dicitur, quod uel ex lexicis adparebit, ut Vlixi quidem nihil aptius

inueniri posset. praepositio uero in Manilio recte se habebit, cum Vergilius quoque *Aen.* 10. 222 et Cicero (*N. D.* 2. § 100) 'innare' sine casu usurpauerint. iam de ceteris uidendum. inter *aequora* et *agmina* (hoc Cusanus alii) tantum discrepat ut aegre, utri te potius adplices, decernas. quid si neutri? mihi quidem hoc magis placet, et ex *per* ICVLA dissoluto utrumque prouenisse. restat ut etiam *ET* (uel *AC*) reponamus, quod post *m* facile potuit intercidere; cf. quae ad I 244 supra adnotauimus. locus sic euadet:

> erroremque ducis totidem quot uicerat annis
> INNANTEM, ET belli geminata PERICVLA ponto.

II 320 sqq.

> haec eadem species fallet per signa quadrata;
> quod cum totius numeri qui construit orbem
> ter triginta quadrum partes per sidera reddant,
> euenit ut *et q. s.*

in u. 321 immane metri uitium multi amoliri conati sunt. lenissimum remedium si uerba *triginta quadrum* inter se transposueris, hoc paululum immutato, *ter* QVADRA TRIGINTA[1]. *quadra* femininum est et partem quartam significat ut apud auctorem *Moreti* 49, Mart. Capellam 8 § 823 'quae quidem alium ab ortu circulum decussantes in IV quadras mundi ambitum discreuerunt.' mox scribendum *reddAT*. sententia loci haec erit 'quod cum pars quarta totius numeri qui orbem construit nonaginta (partes) gradus reddat, euenit' *et q. s.*

II 347 sq.

> distat enim an partis consumat linea iustas
> detractetne modum numeri quem circulus ambit.

ratio postulat ut ad ista *detractetne modum numeri* 'implendi' (u. 316) uerbum respondeat; cf. 311 'hanc—numeri non

[1] non fraudandus hic sua mentione Iacobus ut exemplo sit criticis pro nihilo esse uoculas ac litterulas nisi intellectus accesserit. nam cum *quadrum* plurali numero contra Latini sermonis consuetudinem donasset et pro *quadratis* quod uocabulum semper, sicut ars ipsa postulat, adhibet Manilius, *quadris* abusus esset, ueritatem ipsam mentiri coegit. quapropter, ut isdem utar uerbis quibus antea in re simili (Mnemosyne t. xiv, p. 439) non concedo ei idem atque nos inuenisse sed easdem tantum litteras.

reddit linea summam.' lege *consumMEt* quod uerbum cum *consumendo* permiscent codices (cf. I 569, IV 251). haud dissimile illud 'decimam consummans septima partem'; cf. etiam IV 159.

II 570 sqq.

nec sola est ratio quae dat nascentibus arma
inque odium generat partus et mutua uelle;
sed plerumque manent inimica tertia quaeque
lege in transuersum uultu defixa maligno.

et mutua uelle. immo *NEC mutua uelle* uel, quod fortius est, *et mutua NOlle*; de inimicis enim sermo totus est.

II 679 sq.

haec ad amicitias imitantes iura gradumque
sanguinis atque animis haerentia pectora ducunt.

animis haerentia pectora absurda sunt, sicut uisa Bentleio; haerent enim pectoribus animi, non animis pectora. *foedera* ille scripserat. magis placet *pONDEra*, coll. 956, V 452, Prop. 2. 25. 22.

II 886 sqq.

quocirca minime mirum si proxima summo
atque eadem interior ueneranda sorte dicatur
cui titulus felix. censum sic proxima Graiae
nostra subit linguae uertitque a nomine nomen.

u. 888 et re et locutione peruersus est. nam *titulus felix* falso, *censum subit* inepte dicitur. uitii gemini remedium simplex erit si sic rescribitur 'cui titulus felix GENIVS. sic proxima Graiae | nostra subit linguae uertitque a nomine nomen.' sic Firmicus II 22 'appellatur autem hic locus a nobis bonus daemon, uel bonus *genius*, a Graecis uero *ἀγαθὸς δαίμων*.

mox secuntur de ea sede quae exaduersum priorem sita est

II 891 sqq.

huic in peruersum similis deiecta sub orbe
imaque submersi contingens fulmina mundi,
aduersa quae parte nitet' *et q. s.*

haec peruersissima sunt. scribe *in TRANSuersum.*

III 7 sq.

non coniuratos[1] reges Troiaque cadente
Hectora uenalem, cineri Priamumque ferentem.

haec et praepostero ordine narrantur et uerbis intricatissimis. quid quod bonorum codicum pars maior 'cadent*em*' habet? quod quamuis ipsum corruptum sit, 'cadent*e*' in dubium uocat. fines uersuum sedem inter se mutauerunt haud raro librariorum errore; cf. adnotata ad III 374. scribe:

non coniuratos reges Priamumque ferentem
Hectora uenalem cineri TroiaMque cadenteM.

III 87 sqq.

has autem facies rerum per signa locatas,
in quibus omnis erit fortunae condita summa,
ut sit cum stellae septem laeduntue iuuantue,
cardinibusue mouet diuina potentia mundi.

uaria criticorum in u. 89 temptamina cum diu mecum considero, illud in omnibus desidero ut codicum scripturae uestigia propius sequantur. hi cum haec legant, *ut sit cum* G, *ut cum* L C V_1, *utcumque* V_2 Matritensis, proxime a uero Gemblacensis lectio abesse uidetur, inde in ceteris gradatim descendi, cum illa primum in *ut cum*, mox hoc in *utcumque* deprauatum sit. itaque e Gemblacensis scriptura *ut sit cum* potius eruerim *SICVT QVAM* (*quam* feminini generis est) quod litteras mutet perpaucas et sententiae plane satisfaciat.

III 142 pro 'alias' (aliis V_1) 'alia est' Scaliger, recte nisi quod *aliaST* scribendum.

III 154

hac in parte *dies atque haec* momenta dabuntur.

quae in hoc uersu menda erant, omnia sublata sunt a Bentleio praeter illud unum *atque*, pro quo nimis a litteris recedens *inque* coniecit. ne actum agam, nihil monebo nisi hoc, *dies* quod sensu plane caret ab oscitantibus librariis inductum

[1] codices *ad curatos* ex quo *adiuratos* elicere uult Rossbergius, uix recte, ut opinor; nam de participio et de tali huius uerbi significatione, quod quidem ad Manilii aetatem attinet, haudquaquam satis constat.

dum 'momenta' (quasi sint Anglice 'moments') male capiunt. sed longe aliud uoluit poeta cui sua reddideris si duce Bentleio sic mecum scripseris:

hac in parte *fides* Aque *hac* momenta dabuntur.

III 323 sqq.

at simul ex illa terrarum parte recedas,
quicquid ad extremos temet praeuerteris axes
per conuexa gradus gressum fastigia terrae,
quam tereti natura solo decircinat orbem
in tumidum *et q. s.*

temet praeuerteris Bentleio displicebant neque iniuria, qui tamen suum 'deuerteris' nemini adhuc probauit. est enim exquisitius *praeuerteris* quam quod a librariis profectum sit. manente hoc, *temet* non poterit manere. scriptum fuerat *t*^{i}*met*, h. e. *tibimet*, quod in *temet* mutatum est eodem prorsus modo atque in v 251 *t*^{s} (hoc a Bentleio occupatum et ipse conieceram) in *ter* (*t*') abiit[1]. sententia est *ὅσον ἂν τῆς ὁδοῦ προλάβῃς ἐπὶ τὰ τοῦ πόλου ἔσχατα πορευόμενος*.

mox in 325 Bentleius 'trahens gressum' reponebat quod audacioris est. cum *gressum* a *gradus* corruptum esse ueri similius sit, corrigendum eisdem fere litteris *GRADVS VRGENS*. [hic Iacobus quoque melius egit Bentleio pro 'gradus' *regens* reposito.]

III 373 sqq.

per totidem menses iunget nox una tenebras
uertice sub caeli. nam quisquis spectat ab omni
dimidium e[2] toto mundum uidet orbe rotundo
pars latet inferior; neque enim circumuenit illum
recta acies mediaque tenus distinguitur aluo.

ut olim emendata praeteream, in *omni* primum haeremus. de hoc Iacobus '*ab omni* i.e. a quocunque loco'; sed nemo qui quidem Latine scripserit 'omni' pro 'quocumque' abutitur,

[1] de similibus compendiis a Properti librariis confusis uide sis quae diximus in libello nostro, On certain Manuscripts of Propertius (*Transactions of the Cambridge Philological Society*, tom. IV, p. 23).

[2] *et* codd. corr. Bentl.

neque hic de quocumque loco agitur sed de *caeli uertice.* mox in u. 376 quod legitur *illum,* etsi minus offensionis habet, omnes perspicuitatis numeros haudquaquam explet, neque praestat illud cui *media aluo* iuste respondeat. quippe in his quoque uersibus illud accidit quod in Lucr. IV 490 sqq. (*-necesse est -seorsum* (*-colores*) *-uidere* edd.; sed *-necesse est -uideri* (*-colores*) *-necesse est* codices) accidisse uidemus, quod idem in Manilii loco IV 38, 39 Iebbius (*Life of Bentley* p. 145, cf. Ellisius *Noct. Manil.* p. 116) et in aliis eiusdem locis (III 7 sq.; 528, 530) nos ipsi factum esse docuimus docebimusque, alterius scilicet uersus parte in alterum transgressa. ergo legendum *ab* ILLO (374) et OMNEM (376). litteras ipsas uersuum si accuratius numeraueris, inuenies uersus 374 et 376 interiecto uersu (375) unius uocabuli spatio esse longiores, unde facilior utroque erat transitus. in u. 375 *rotundi* recte ab optimis codicibus traditur, non recte ab omnibus *mundum.* quod tamen audacius Bentleius in *tantum* mutauit: tu in *mundI* potius emenda. uerba ita coniungenda 'dimidium e toto orbe rotundi mundi' cum non intellegerent librarii, 'mund*um*' scripserunt, Vossianum primum qui descripsit uitio uitium cumulauit, cum 'rotundu*m*' etiam refinxerit. nunc, credo, omnia in perspicuo erunt, ad hunc modum perpurgata:

> nam quisquis spectat ab ILLO,
> dimidium e toto mundI uidet orbe rotundi,
> pars latet inferior; neque enim circumuenit OMNEM
> recta acies *et q. s.*

omnem idem ualet ac 'totum,' conf. u. 327; atque bis adsonantes sibi in fine uoces *mundi—rotundi* ne tibi forte displiceant, similia coniunxerunt Lucretius 3. 336, Vergilius *Aen.* 9. 634, Propertius I 8. 11, 17. 5, alii.

III 525 sqq.

> idcirco tanta est rerum discordia in aeuo 525
> et subtexta malis bona sunt lacrimaeque sequuntur
> uota, nec in cunctos seruat fortuna tenorem.
> usque adeo permixta fluit, nec permanet usquam
> amisitque fidem uariando cuncta per omnis.

non annis anni nec menses mensibus usque
conueniunt seque ipse dies aliumque requirit
horaque non umquam similis producitur horae.

in u. 531 *aliumque* mirum in modum torquet interpretes, qui laterem, quod dicitur, lauant. scribendum *aliuNDE.* ipse dies frustra se extrinsecus quaerit, seu mauis, nihil diei par ac simile nisi ipse.

sed ne qui praecedunt quidem uersus sani esse uidentur. primum in u. 527 *in cunctos* plane aliud est atque 'per cunctos' (IV 97) quod contulit Bentleius. ueteres edd. 'in cunctis' habent. scribendum fortasse pro 'in cūctos' 'inceptū' h.e. *INCEPTVM*, geminata *s* a qua incipit 'seruant.' fortasse quis maluerit 'in*cep*tos tenores' quod illud uocabulum a Statio plurali effertur. mox quae claudunt uu. 528 et 530 *usquam—usque* inuerso ordine scribi debebunt. sic enim sententia flagitat, 'fortuna non seruat tenorem nec *usque* (= ad finem, semper) permanet' sed 'menses *nusquam* mensibus conueniunt, et nulli horae similis hora producitur.' quod idem uocabulum 'usque' et inducat uersum et claudat, haud eodem tamen sensu accipiendum, nemo mirabitur qui ueterum scriptorum peritus sit.

III 545 sqq.

uenit omnis ad astrum
hora die bis, mense dies semel, unus in anno
mensis et exactis bis sex iam solibus annus.

haec, ut uulgo interpunguntur, sensu carent. nam cum XII signa sint, bis (ut duce Manilio numerum ponam, partes neglegam) singulis mensibus ad idem reditur astrum[1]. quare sic melius distinxeris:

uenit omnis ad astrum
hora die bis, mense dies, semel unus in anno
mensis.

unus neglegentius dictum pro 'singulis,' ut apud Liuium etiam III 13. 8, VIII 8. 4, sic apud Catullum 113 ubi frustra tumultuantur commentatores 'Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant | Mucillam: facto consule nunc iterum | manserunt duo sed creuerunt milia in unum | singula. fecundum semen

[1] uerum uidit Delphinianae editionis interpres.

adulterio!' hoc est, 'in singulos singula milia accreuerunt' uel si malis, non iam II sed MM adulteri sunt.

III 590—617

si bene constiterit primo sub cardine luna,
qua redit in terras mundus, nascensque tenebit
exortum, octonos decies ducetur in annos,
si duo decedant. at cum sub culmine summo
consistet, tribus hic numerus fraudabitur annis.
bis quadragenis occasus diues in actus
solis erat, numero nisi deesset olympias una;
imaque tricenos bis fundamenta per annos
censentur, bis sex adiectis mensibus aeuo.
quodque prius natum fuerit dextrumque trigonum,
hoc sexagenos tribuit duplicatque quaternos;
quod fuerit laeuum, praelataque signa sequetur,
tricenos annos duplicat, tris insuper addit.
quaeque super signum nascens a cardine primum
tertia forma est et summo iam proxima caelo,
haec ter uicenos geminat, tris abstrahit annos.
quaeque infra ueniet, spatio diuisa sub aequo,
per quinquagenas complet sua munera brumas.
quemque locum superat nascens horoscopos, ille
dena quater reuocat uertentis tempora solis,
adcumulatque duos cursus, iuuenemque relinquit.
at qui praecedit surgentis cardinis horam,
uicenos ternosque dabit nascentibus annos,
uix degustatam rapiens sub flore iuuentam.
quod super occasus templum est, hoc dena remittit
annorum spatia, et decumam tribus applicat auctis.
inferius puerum interimet, bis sexque peracti
immatura trahent natales corpora morti.

numeros huius loci accuratius quidem perpensatos recte se habere nemo, ut opinor, magnopere confidet. ut ab ultimis incipiam, templum quod super occasus est, XIII annos aetatis nascentibus tribuere dicitur (u. 615): quid illud quod inferius est? '*puerum*' inquit 'interimet,' quod scilicet superius non fecit, et XII annis peractis ad mortem trahet. hoc, quaeso, quale

est? unus annus num tantum ualet? XII annos natus puer est, XIII adulescens. non equidem credo; sed uide quae praecedunt. quartum, ut a fine numeres, templum XLII annos praebuerat (609, 610), tertium XXIII, dimidio fere minus. quid ultimo proximum? XIII[1]. constat ratio. uenimus ad ultimum: utrum magis credibile unum tantum de priore summa decedere, an priorem, quoad possit, seruari rationem? quid multa? pro *bis sex* si me audies, rescripseris *VIX sex.* alibi quoque inter se permiscentur a librariis *bis* et *uix* ut Prop. 3. 21. 7. sed dixerit aliquis: 'cur sex, non septem anni aetatis a templo ultimo tribuuntur?' nescire me fateor neque astrologorum subtilitates premo: uideant ipsi.

iam si praecedentes inspexeris numeros, uidebis in illis quoque ratione aliqua descendi. templorum enim primum LXXVIII annos dat (591—3), alterum LXXVII ut *octonos decies* (592) et *bis quadragenos* (595) indicio, tertium LXXVI. mox quintum LXVIII, sextum LXIII, septimum LVII, octauum L. secuntur de quibus supra dictum est: nonum quod XLII dat, decimum quod XXIII, undecimum quod XIII, duodecimum quod VI (uel XII). est unum ex omnibus, si codicibus fides, quod seriem interrumpat. de quarto haec ab iis traduntur: 'imaque *tricenos bis* fundamenta per annos | censentur *bis sex* adiectis *mensibus* aeuo.' dabit igitur quartum annos LXI, cum tertium det LXXVI, quintum LXVIII: num credis? nobis certe haec uehementer displicebant, nihil tamen, quamuis omnia temptantibus ut res salua fieret, proficiebat, cum ecce se Martialis locus quam opportunissime obtulit, unde ad hos Manilii uersus bene constituendos haud unum lucramur adiumentum, VI 28. 8 sq. 'bis

[1] de u. 614 sensu dubitari non potest, qui hoc significat: templum quod super occasus sit, de XVIII annis qui superioris sint annos X remittere nec pro suis uindicare, itaque, quod proximo uersu disertius dicit, XIII ('decumum tribus applicat') dare. sed uerba incertiora sunt. Bentleianam lectionem non summoui, quamuis codicum indiciis uix satis respondentem. pro *templum est hoc* (B.) Gemblacensis habet *temptatū est* sed *tū* et *e* in rasura stant, Vossianus uero alter *temptatum ter* et Matritensis *temptatum est ter.* hoc *ter* et illud *tum*, quae compendiis simillimis inter se scribuntur (suadeo inspicias Waltheri lexicon diplomaticum p. 393) utrumque ex eadem nota, quae *t*^{i} (*TIBI*, cf. adnotata ad III 323) esse potuit, profluxisse uidentur. mox *temptatum* pro *templātum* scriptum est.

senis modo *messibus* peractis | uix unum puer *applicabat* annum.' Martiale duce *mensibus* abicio, *messibus* amplector. eodem duce *applicat* quod in u. 615 codices exhibent contra Bentleium *ampliat* legentem tuemur. quid in fine huius uersus pro *auctis* scribi debeat haud in promptu est iudicare. fortasse recte se habet *annum* quod coniecit idem. quod si *duos cursus* (610) *spatia* (615) et quod maximum est, *actus solis* (595) quod cum Ellisio recte amplectaris, contuleris haud scio an potius legendum putes *ACTVM*. eodem modo apud Lucretium v 1330 'adactus' in 'ad*auc*tus' corruptum est.

Huetius recte, ut uidetur, *quadragenos* pro *quadragenis* (uel *-nus* ut V_2) dederat. pendet tamen illud *in actus* neque habet quo referatur. pro *erat* scribe EAT quod in *erat* paene nusquam a Manilianis libris non corruptum est. ne in '*eat* nisi *desset*' offensus frustra *desit* conicias, haec et similia frequentare solent poetae, ut Plaut. *Mil.* 1356 'si ita tibi sententia *esset*, tibi seruire *mauelim*.'

templorum condicio ea esse uidetur ut in tris classes diuidi possint, in quorum singulis diuersa ratione decrescant numeri.

	I Classis		II Classis		III Classis	
(Cardines)	I	78	V	68	IX	42
	II	77	VI	63	X	23
	III	76	VII	57	XI	13
	IV	[72]	VIII	50	XII	[6]

priusquam a loco discedam, monendum est Scaligerum illum magnopere in septimi templi numero errasse cum 'ter uicenos geminat' quasi CXX annos efficeret, interpretaretur, oblitus scilicet in *tergemino* Geryona non sex homines fuisse sed tres.

IV 6 sq.

> pauperiorque bonis quisque est quo plura requirit
> nec quod habet numerat, tantum quod non habet optat.

a principio libri usque ad u. 12 finem poeta in hominum stultitiam inuehens interrogationes solito oratorum artificio uel-ut indignabundus frequentat. ab hac orationis ui atque contentione color horum uersuum, placide quid placeat exponentium,

totus abhorret. scripsit eas fortasse Manilius, hoc loco certe non scripsit. obiter noto in huius libri exordio non pauca Lucretiana esse, ex illius libri secundi desumpta, quae res Iacobi coniecturam *totne* pro *totque* u. 14 quodam adminiculo firmat. sic enim et Lucretius u. 16 ('omne uidere!') et Manilius in re eadem eodem modo infinitiuum admirantes adhiberent.

IV 43 sqq.

adde etiam Italicas acies Romamque suismet
pugnantem membris; adice et ciuilia bella
et Cimbrum in Mario Mariumque in carcere uictum
quod consul totiens exul deque exule consul
adiacuit Libycis compar iactura ruinis
eque crepidinibus cepit Carthaginis arces.

in 43 certissimum est *italas* quod plures codices habent ex *italicas* deprauatum esse. nam de Italico siue sociali bello sermo est. utrum *uires* an *acies* (*italas acies* Voss. II et Matritensis) legendum, dubitari potest: male certe Gemblacensis *uires italas*, metri causa interpolatus. rem magis dubiam facit quod in 'acies' ex 'italicas' nasci potuerit. de u. 45 Bentleius 'sic scripti omnes editique; neque miror, si lectio prima fronte speciosa tamdiu fucum interpretibus fecit. Cimbri enim a Mario victi sunt, et Marius Minturnis in carcere jacuit. Sed dic modo verum, An bellum Cimbricum, duce Mario gestum, civile fuit, ut sententia hic postulat? an Marius victus est in carcere; qui inde dimissus, victis adversis partibus, consulatum septimum adeptus est?' haec nihilo minus ceteris persuadere debuit Bentleius, licet quod ipse excogitauit 'et Cinnam in Mario Mariumque in Caesare' propter multa displicuerit. ab omnibus praeteruisum est *uictus* hic pro ambiguo poni quod hac ad *uincendum*, illac ad *uinciendum* spectaret. similiter apud Ciceronem *inuictus* cum de illo a Stoicis informato sapiente dissereretur, *de finibus bon. et mal.* 3. 75 'recte solus liber [dicitur], nec dominatione cuiusquam parens nec oboediens cupiditati; recte *inuictus*, cuius etiam si corpus constringatur animo tamen *uincula* inici nulla possint.'[1] *nactus* et *nanctus*,

[1] hoc si non placebit, inter se transponenda erunt uerba 'recte solus liber' et 'recte inuictus.' [cf. quae diximus in Appendice.]

commictus et *comminctus*, apud scriptores traduntur. pro *pictus* a uulgo dictum esse *pinctus* Romanicae quae dicuntur linguae Fr. *peint*, It. *pinto* testantur. *uinctus* a *uincendo* quod in Italiae (*vinto*) et Prouinciae (*vens*) hodiernum sermonem defluxit, idem in ueterum quoque libros uidetur immigrasse; cf. quod legitur in Reg. codice apud Ciceronem *Verr.* 5. 16. 41 *conuinctus*. sed talia sequi infinitum est; ad Manilium redeamus. in u. 46 pro '*quod et exule*' Rossbergius recte *deque* reposuit cum priores '*quod de exule*' scripsissent. non tanti sunt codices Maniliani ut Manilio *κακόφωνον* illud inuito infulcias. *que* etiam alibi in *quod* corruptum est ut in Matritensi (II 41). mox in u. 48 Vossianus alter et Matritensis *orbem* commendant; sed fortius est *arces* idemque sibi uult, modo recte capiatur. arces pro summo imperio dixit Seneca *Thyest.* 342 'cupidi arcium,' Lucanus 8. 490 'euertitque arces respectus honesti'; cf. quae ad Iuuenal. 10. 307 a Mayoro conlecta sunt. hic *crepidinibus* optime respondet *arces*; 'ualet *ima summis* | *mutare* et insignem attenuat deus | obscura promens' ut dicit Horatius *carm.* 1. 34. 12 sqq.

IV 108 sqq.

nec tamen haec ratio facinus defendere pergit
uirtutemue suis fraudare in praemia donis.
nam neque mortiferas quisquam minus oderit herbas
quod non arbitrio ueniunt sed semine certo;
gratia nec leuior tribuetur dulcibus escis
quod natura dedit fruges, non ulla uoluntas;
sic hominum meritis tanto sit gloria maior,
quod caelo gaudente uenit; rursusque nocentis
oderimus magis, in culpam poenasque creatos.

recte in u. 110 pro *magis* scripserunt *minus* ueteres editores, receperunt Scaliger Bentleiusque. poetae sententiam etiam eos librarios deprehendisse puto qui 'magis *ederit*' innouarant. sed illud longe praestat, praesertim si u. 116 comparaueris. notum est *magis* et *minus* inter se a librariis passim confundi.

nunc ad u. 115 animum uelim attendas. illud agit poeta ut astrorum potentia propriam bene secusue factorum aestimationem non tolli demonstret. 'ut letales herbas non minus

odimus deuitamusque quod certo semine, non arbitrio suo, nascuntur, ut frugiferarum non minor est apud nos gratia quod natura iubente oriuntur, sic et hominum facinorum bonorum maior erit gloria si cum gaudio caelitum uenerint, malorum uero maius odium si ea qui admiserint in culpam poenasque lege nascendi creati sint.' haec non cohaerere quis est qui non intellegat? neque enim de gaudio caelitum agitur, sed de imperio. confer uu. 109 sqq. 'scilicet est aliud quod nos cogatque regatque | maius et in proprias ducat mortalia leges.' eandem hic sententiam leniore uerbo expressit poeta, modo emendatus sit, *caelo SVAdente.* contrarium uitium '*suadetque* Lyaeo' pro '*gaudetque* Lyaeo' ex v 323 tollebam cum iam ante me a Thomasio sublatum esse intellexi. iam in eodem uersu (115) neglegentius sane scripsit Manilius si 'gloria uenit' scripsit, cum meritum uenire intellegi uoluit; et inconcinne uel etiam absurde dicitur 'hominum merita maiorem gloriam habere quod ea gloriam habere (uel si mauis, maiorem gloriam habere) uoluerunt caelestes.' quapropter *meritis* ex *meritI* prouenisse uidetur. de *s* a librariis infulto uide quae infra cap. III congessimus.

IV 140 sqq.

> Taurus simplicibus dictabit[1] rura colonis
> pacatique labor ueniet nec praemia laudis,
> sed terrae tribuet partus.

pacati labor. immo *pacaNDI.* nondum enim pacatae uel subactae sunt terrae, quod uel ex u. 145 elucebit '*militiam indicit* terris,' neque in 'pacato' labor futurus erat. gerundium et participia inter se nulli non commutant codices. itaque Tibullo (1. 5. 14) abiudicandum 'somnia ter sancta *deueneranda* mola,' passiue ille *deuenerata* scripserat.

IV 150 sq.

> laudis amor; tacitae mentes et corpora tarda
> mole ualent

supra dixerat 'nec praemia *laudis* (h. e. militiae, Gallice *la gloire*) tribuet.' quare, ne secum pugnet Manilius, pro *tacitae*

[1] ita Bentleius, codicum pars melior soloece *dotabit*, aliqui *donabit* quod grammaticam rationem non euertit.

scribe PLACIDAE, ante *mentes* distincto. ut ante in 'pacandi,' sic nunc in 'laudis' ambigua significatione luditur. de *laude* simpliciter pro militari laude posita cum taceant lexica, pauca eius significationis apponam exempla: Prop. 1. 6. 29 'non ego sum *laudi*, non natus *idoneus* armis: | hanc me *militiam* fata subire uolunt,' ib. 3. 1. 15 sqq. 'multi, Roma, tuas *laudes* annalibus addent—sed quod *pace* legas, opus hoc de monte sororum | detulit intacta pagina nostra uia,' Tib. 1. 1. 57 'non ego *laudari* cupio,' 2. 5. 10 'uictori *laudes* concinuisse Ioui.' de hac 'laudis' significatione multos abhinc annos admonuit me amicus noster H. W. de Turpi Vado.

IV 165 sqq. (de Cancri sub eoque natorum ingenio).

ille tenax animi nullosque effusus in usus
attribuit uarios quaestus artemque lucrorum:
merce peregrina fortunam ferre per urbes
et grauia annonae speculantem incendia uentis
credere opes orbique orbis bona uendere posse
totque per ignotas commercia iungere terras
atque alio sub sole nouos exquirere census
et rerum pretio subitas componere praedas
nauigat et celeris optando sortibus annos
dulcibus usuris aequo quoque tempora uendit.
ingenium sollers suaque in compendia pugnax.

nauigat ad praecedentia hi trahunt, illi ad sequentia: neutris tamen conuenit. nam librariorum fetus est, non poetae. hic scripserat NAVE AGIT. Plautus in *Friuolariae* fragmento ap. Fest. 166, 32 '*naue agere* oportet quod agas, non ductarier,' Sallustius *Iug.* 77, 3 '*naue* fecerant.' *nauigat* librariorum incuriae debetur, mente ad uu. 167—171 aberrantium. simili errore pro *natis* (v 359) scripserunt *nautis* quia *ponto* praecesserat. in u. 174 durissime dictum 'aequo quoque' si *cent. per cent.* significat; sed *aequo* fortasse generis masculini est et cum *dulcibus* coniungendum.

IV 200 sq.

in uitio bonus ut teneros pudor impedit annos
magnaque naturae cohibendo munera frenat.

in uitio bonus ut. optime Ellisius *bona sūt*[1]; sed rem non absoluit. nam *INVITO* a sententia flagitatur. qui magna naturae cohibendo munera frenat, huic certe 'inuito bona sunt.' datiuus in talibus notissimus; Tac. *ab excessu* 1. 59 'ut quibusque bellum *inuitis* aut *cupientibus* erat.'

IV 204 sqq.

librantes noctem Chelae cum tempore lucis 204
mensurae tribuent usus ac pondera rerum 206

dormitabat hic puto Bentleius, qui uersum quem post 204 praestant codices

per noua maturi post annum munera Bacchi

non eiecerit sed corrigere temptarit. quid enim ad Libram pertinent ista Bacchi munera? quid ex toto loco usquam simile indagabitur? cur si Chelarum tempus significare uoluit poeta, '*post annum* maturi' dixit? at si alieni hic sunt, ut sunt alienissimi, cur quis intulerit? dicam. cum pro *librantes* in codicibus omnibus *libantes* sit, etiam in archetypo hoc fuisse facile colligitur. itaque ne desit quod 'libetur,' huc uersum librarii stupor intulit. quis eum scripserit et quo loco, decernere non ausim.

IV 222 sqq.

quin ipsa sub armis
pax agitur; capiunt saltus siluasque pererrant;
nunc hominum, nunc bella gerunt uiolenta ferarum.

capiunt saltus. immo *Rapiunt* pro quo *Capiunt* constanter librarii in codices inferunt. uocis tibi exempla haud pauca lexica suppeditabunt.

IV 246 sq.

scrutari caeca metalla
depositas et opes terramque exurere uenis

'depositae opes' quid sint ab Horatio docemur *Serm.* I 1. 41 sq. 'argenti pondus et auri | furtim defossa timidum *deponere* terra.' repone *sepositas*, ab ipsa natura remotas. sic 'sepositi

[1] *bonas ut* Matritensis et, si fides Iacobo, a prima manu Vossianus alter, a uero proxime.

fontis' Propertius, 'seposita gens' Martialis qui dicitur in spectaculorum libello. ad sententiam conferenda sunt quae de hac ipsa re Manilius libro v uu. 533 sqq. dixit 'quaerere sub terris aurum furtoque *latentem* | naturam rimari orbemque inuertere praedae | imperat et glaebas inter *deprendere gazam.*' cuius loci quoniam incidi in mentionem, libet adscribere pauca de significatione rariore uocabuli *praedae* quae uiros doctos aliquos, praesertim eos qui lexica conscribunt, uidetur fefellisse. neque enim semper de rapto dicitur, interdum etiam de rapina uel raptore, ut fere idem ac 'praedationem' uel 'praedatorem' significet. sic Lucretius cum de auibus uoces uarias edentibus scripsit (v 1082) 'et quom de uictu certant *praedae*que (*praedata*que MSS) repugnant,' repugnare aues praedari se uolentibus uoluit intellegi; itaque male alii hiantis illius corui immemores, *praedae* de piscibus quos rapiunt aues intellegunt, alii peius etiam *praeda* inferciunt. neque *praedo* obtrudendus est Claudiano *de bello Gildonico* 68 sq. 'si quid fortasse potenti | uel pudor extorsit domino uel *praeda* reliquit' (quo modo enim praedo potenti domino, hoc est Gildo Gildoni, relinquere aliquid dicatur?) sed *praeda* interpretanda, aperte, quamuis fortasse duriuscule, dicta 'si quid extortum est pudori Gildonis uel a rapina eius relictum.' neque multum abludit quod dixit Tibullus 2. 3. 35 sqq. 'ferrea non Venerem sed praedam saecula laudant; | *praeda* tamen multis est operata malis. | *praeda* feras acies cinxit discordibus armis: | hinc cruor, hinc caedes mors propiorque venit. | *praeda* uago iussit geminare pericula ponto, | bellica cum dubiis rostra dedit ratibus. | *praedator* cupit immensos obsidere campos, | ut multa innumera iugera pascat oue.' nam de spoliandi cupidine magis quam de ipsis spoliis facit orationem poeta. *spolium* quoque locos perpensantibus attentius uim interdum uerbalem ex scribendi breuitate uidetur nancisci; II 32 'ictuque nepam *spolio*que leonem | et morsu cancrum' passiue 'eo quod spoliatus est', IV 179 'spolio uiuit pecorumque rapinis[1].'

IV 298.

quam partem Graiae dixere decania gentes.

[1] neque propria Romanorum haec locutio; confer Herodoti ζῆν ἀπὸ λῃΐης καὶ πολέμου (4. 103) et nostratis Shaksperi *spoil Hen.* v 3. 3. 25, *Caes.* v. 3. 7.

ita Salmasius, a codicibus, qui *decanae* uel *deganae* testantur, longius recedens. scribe *DANAAE.*

IV 417

partis fugientia flumina ripis.

sententiam uerborum dispexit Breiterus, ipsa non emendauit. de fluminibus poeta loquitur quae nondum per agros populabunda uagentur sed *CERtis* ripis contineantur.

IV 434 sq.

incidimus si uerba, piget; sed gratia deerit
in uanumque labor cedit quem despicit auris.

sed hic nullum locum habet. contraria enim non sunt *piget* et *gratia deerit.* legendum *SI.* de propositi operis difficultate querens poeta 'quin etiam' inquit 'si ipsa uerba inuenero, displicebunt inuenta, nisi gratia quoque accesserit, et pro perdito erit labor qui auribus non satisfecerit.' geminatum *si*, sicut apud optimos scriptores haud raro geminatur (cf. Maduig. *gr. Lat.* § 442 a), librarios non intellexisse credibile est.

IV 445

dec*u*ma—dec*u*mae ab optimis codicibus recipiendum. idem tradunt in u. 450 (bis), 460, 462, 470, 472, 487 *decumam* Gemblacensis, 495 *decumae* idem qui etiam *undecuma* V 57.

IV 523 sq.

accedent et ruris opes propriaque iuuencum
dote per inuersos exornat uomere campos.

iuuencum, nisi forte pro 'iuuencorum' (quod sane ambiguo propius est) accipiendum existimes, corruptum uidebitur. sidus enim *homines* (quod facile, ut in u. 526, suppletur) per inuersos uomere campos propria dote exornat, non *iuuencos.* haud multum interer*i*t *iuuenc*I an *iuuencu*S legas.

IV 599

alluit edd. *abluit* codd. scribe *aDluit.* idem fortasse Propertio reddendum 2. 19. 26 ubi codd. 'niueos *ab*luit unda boues.'

IV 602

laeua freti caedunt Hispanas aequora gentis

fieri potest ut tundant aliquem aequora, ut 'caedant' non potest. leuissima mutatio *Accedunt.* sic Plautus *Men.* 237 'orasque Italicas omnes qua adgreditur mare,' Cic. *N. D.* II 100 'mare—terram adpetens litoribus adludit.'

IV 642 sqq.

> nec tantum ex una pontus sibi parte reclusit
> faucibus abreptis orbem (nam litora plura
> impulit oceano) potius sed montibus altis
> est uetitus, totam ne uinceret aequore terram.

hos uersus sic rectissime distinxit Bentleius, idem tamen minus bene interpretatus est. qui hoc sibi uolunt: 'pontus non illud prae ceteris egit (hoc enim *potius* significat) ut unam tantum partem orbis sibi recluderet (plura enim in litora oceanum intulit) sed montium altitudine prohibitus est ne totum hauriret.'

IV 669.

> ac sterili peior siccas infestat harenas

infestat damnat Bentleius neque immerito. illud tamen 'incestat' quod reponi iubet uix satis aptum uidetur. melius credo *FVNestat.*

IV 686 sqq.

> maxima terra uiris et fecundissima doctis
> urbibus; in regnum florentes oris Athenae,
> Sparta manu, Thebae diuis et rege uel uno
> princeps illa domus, Troiani gratia belli
> Thessalia Epirosque potens uicinaque ripis
> Illyris et Thrace Martem sortita colonum
> et stupefacta suos inter Germania partus,
> Gallia per census, Hispania maxima belli;
> Italia in summa quam rerum maxima Roma
> imposuit terris caeloque adiungitur ipsa.

in u. 689 *Pella* Schraderi inuentum bene recepit Iacobus, uerbis tamen typothetarum culpa male distinctis. in claris gentibus recensendis non potuit Manilius Macedonum Alexandrique laudes reticere. mox Thessalia quae Achillem edidit

non '*gratia* (ne dicam de illa quorundam codicum corruptela *grecia*) Troiani belli' sed *gLORia* erat. haec uerba per compendium scripta temere inter se confundi ad locum adnotat Bentleius. itaque scribendum 'et rege uel uno | princeps *Pella* domus, Troiani GLORIA belli | Thessalia.'

mox in u. 690 *uicinaque ripis Illyris* quam maxime languere paene omnes consentiunt. quae propriae fuerint Illyrici laudes, diligenter scrutantibus haud in promptu est inuenire. scopulis tamen altissimis eius orae circum munitae sunt. itaque haud scio an reponendum sit *INCINCTAque rVPIS* cum eleganti illo accusatiui usu quem adamauerunt poetae. 'rupes' alibi quoque cum 'ripa' commutatur. de rupibus montibusque Illyrici conferendi sunt, si tanti est, Lucanus IV 452 'rupis ab Illyricae scopulis,' Ausonius *de claris urbibus* 7. 3 alii; fortasse etiam ipse Manilius si Ellisium audimus in IV 610 'uallum' conicientem *Noct. Man.* p. 137.

IV 701—710

ac uelut humana est signis descripta figura
et quamquam communis eat tutela per omne
corpus, et in proprium diuersis artubus exit
(namque Aries capiti, Taurus ceruicibus haeret,
brachia sub Geminis censentur, pectora Cancro,
te scapulae, Nemeaee, uocant teque ilia, Virgo,
Libra colit clunes et Scorpius inguine regnat,
et femina Arcitenens, genua et Capricornus amauit
cruraque defendit Iuuenis, uestigia Pisces)
sic alias aliud terras sibi uindicat astrum.

horum uersuum conexus male intellectus fecit ut in u. 703 molestum illud *et* tamdiu seruetur. primum ei quod est *uelut* (701) respondet *τὸ sic* in u. 710; deinde ista *est descripta* (*dIscripta* sine dubio scribendum) et *exit* coniungit illud *et*, a quo incipit u. 702, ut luce clarius sit pro altero *et* scribi debere *AT*; quod *τῷ* 'quamquam' optime respondebit. eodem modo post *etsi* subsequitur eadem particula Cic. *de or.* III 14, Tac. *dial.* 19.

IV 726 sq.

iam propior tellusque natans Aegyptia Nilo
lenius irriguis infuscat corpora campis

pro *propior* Bentleius *proprio* emendat acutissime et leuissime, audacius idem *-que natans*, quod tuetur IV 752 'tellus Aegypti iussa natare,' in *gaudens* refingens. ordo tantum uerborum mutandus est ut sit

iam tellus proprioque natans Aegyptia Nilo

'iam tellus' dictum ut 'iam dea' Prop. II 26. 10. olim enim Aegyptus κόλπος erat θαλάσσης (Herod. II 10 sqq.).

IV 787 sqq.

insula Trinacriae fluitantem ad iura sororem
subsequitur Creten, sub eodem condita signo;
proximaque Italiae et tenui diuisa profundo
ora paris sequitur leges nec sidere rupta est. 790

hic inesse corruptelam nemo non concedat. 'Sicilia'—hoc enim dicit—'sub eodem signo est atque Creta,' sub Sagittario scilicet, mox pergit 'eadem insula (quod proxima Italiae ora est) paris leges sequitur idemque sidus (hoc est Libram) colit.' uerbum non amplius addam. patet igitur *Trinacriae* nomen insulae alicuius occupasse, quod indagare facillimum est. quam enim unam praeterisse uidetur *Cypros* est, Veneris sedes notissima. haec a litterarum uestigiis non multum abest si pro *Trinacriae* scripseris *QVIN CYPRIAE*. *Cypria* Venus est ut apud Tibullum, qui dicitur, III 3. 34.

IV 794 sqq.

teque feris dignam tantum, Germania, matrem
adserit ambiguum sidus terraeque marisque
aestibus assiduis pontum terrasque tenentem.

si in u. 796 *aestibus* cum editoribus plerisque legas, *tenentem* noli tenere. apte enim de terris dicitur, de ponto inepte. legendum potius *teRentem*. assiduis aestibus et mare et terra fatigatur.

IV 845 sqq.

haec quoque signa suo pariter cum sidere languent
incuruata simul solitoque exempta uigori
et uelut elatam Phoeben in funere lugent.
ipsa docet titulus causae quae ecliptica signa
dixere antiqui pariter sed bina laborant.

in hos uersus migrasse scioli cuiusdam additamentum ante me animaduersum est a Breitero qui uerba *causae quae ecliptica —antiqui* e textu eicit. in quo ficta a ueris uix satis recte discreuit; neque enim *causa* tituli possumus carere, contra *pariter* et facile abesse poterat (nam 'bina' per se ipsum rem satis declarat quam Anglice (cf. 859) dicimus 'by pairs') et ex u. 845 huc uenisse uidetur. restant emendanda haec: 'ipsa docet titulos causae' (nam *quae* quod Ellisius frustra tuetur ab interpolatore est, scilicet 'quae signa ecliptica dixere'), mox 'sed bina laborant.' inuertit rationem, si quid uideo, Bentleius sic legens 'ips*e* docet titul*us* caus*as*' et ad II 686 prouocans 'et tantum Graio signari nomine passam | dodecatemoria, in titulo signantia causas.' illic enim nominis Graeci rationem tractat poeta, quod in eclipticis signis iam ante uu. xxx fecerat (uu. 819, 820). itaque hic non de titulo eclipticorum iam loquitur sed de ipsis. uerba ipsa locum Ouidi in mentem reuocant quo Florae nominis causa redditur: sic enim ille in *Fastis* v 191 sq. '*ipsa doce* quae sis. hominum sententia fallax. | optima tu proprii nominis auctor eris.' neque aliter caelestia illa signa quae Manilio pro numinibus sunt 'ipsa doc*ent* (hoc ab Ellisio sumo, Breiterus *docet* seruat de Luna intellegens) titulI causAS,' hoc est laborant uel *ἐκλείπουσιν*; 'sed,' pergit, '*bina* laborant.' uides iam omnia inter se cohaerere. fefellerant uiros doctos uerba a librariis paullo subtilius deprauata cum se excipientium alterius in alterum inflexio transisset. quod tamen haud ita raro in codicibus peccatur. cf. v 353 et Ou. *Fast.* IV 160 'nomin*e* cord*a*' pro 'nomin*a* cord*e*' (A), Prop. II 32. 2 '*crimina lumen*' pro '*lumina crimen*,' in Aetnae u. 1 'rupt*is*que cau*i*' pro 'rupt*i*que cau*is*' codex quidam ab Ellisio excussus. uersus sic euadit:

ipsa docent titulI causAS; sed bina laborant.

IV 860 sqq.

tum uicina labant ipsis haerentia signis,
quae prius in terras ueniunt terrasque relinquunt:
sidereo non ut pugnet contrarius orbi
sed qua mundus agit cursus, inclinat et ipse
amissasque negat uires.

cum *contrarius* intellegitur *orbis*, quod quidam etiam pro

orbi rescribunt. non dicam quam dure intellegatur; sed ne sic quidem cohaeret sententia. cohaereret si tale quid in textu scriptum esset '*orbis hoc facit,* non ut sidereo orbi contrarius pugnet, sed et ipse inclinat qua mundus cursus agit uiresque quas ipse amisit illis negat.' itaque uersus post 861 amissus est, fortasse uel plures.

v 33 *onus*] ducibus codicibus G 'honos,' L 'honus,' *h*onus scribe.

v 40 sqq.

illa quisquis erit terris oriente creatus
rector erit puppis clauoque immobilis haerens
mutabit pelago terras uentisque sequetur
fortunam totumque uolet tranare profundum
classibus atque alios menses aliumque uidere
Phasin et in cautes Tiphyn superare trementem.

ineptum *menses* Bentleius recte impugnauit et reponendum *Minyas* Iacobo quoque (praef. p. xviii) persuasit. minimum sane a litteris abest quod apud Val. Flaccum 1. 310 (in u. 227 eiusdem libri propter alias corruptelas res paullo incertior) in 'mensas' abiit. hic tamen potest *monTes* latere. nam Symplegades paene proprie 'montes' dicuntur, ut a Seneca *H. F.* 1222, *Med.* 342, Val. Fl. 4. 576, 582, 645, 677, 8. 193, Claud. *Bell. Goth.* 6, quibus locis perpensis A. Palmeri coniecturam *montis duo* in Prop. 2. 26. 34 recepimus. Lucani uerba 2. 717 sqq. quippe cui fortasse hic Manili locus scribenti obuersatus sit, exscribo: 'ut Pagasaea ratis peteret cum *Phasidos* undas | Cyaneas tellus emisit in aequora *cautes,* | rapta puppe minor subducta est *montibus* Argo | uanaque percussit pontum Symplegas inanem | et statura redit.'

v 51

Punica nec toto fluitabunt aequore rostra

rostra tum credo fluitabunt cum aes natauerit. scribe *APLVStra* coll. Lucr. II 555 et Ciceronis *Arateis* ap. Prisc. I p. 351 H. (Baehrens Poet. R. fragm. XXV). 'aplustra' in 'prustra' corruptum est in Parisiensi codice (8779) commentarii notarum Tironianarum (u. ed. Schmitz. p. 7). mox secuntur

v 53 sq.

Actiacosque sinus inter suspensus utrimque
orbis, et in ponto caeli fortuna natabit.

ubi mire sane pro 'fortuna' Gemblacensis *secura* testatur, quod quidem ex *rectura* uidetur profluxisse; confer de eodem Actiaco proelio I 915 sq. 'repetitaque rerum | alea et in ponto quaesitus *rector Olympi.*' sed recte an secus, dubium. *fortuna* certe nihil habet quod offendat.

v 132 sqq.

illa Tonanti
fundamenta dedit pectusque impleuit hiantis
lacte suo, dedit et dignas ad fulmina uires.

nisi Breitero credas in priore uersu *tonandi* legendum, quod postea demum uerbis 'dedit—uires' expressit poeta, *fundamenta* pro alimentis accipienda sunt, quod uetat sermonis Latini consuetudo. 'nutrimenta' a litteris longius abest, propius *fuLCImenta.* nota in re tali 'fulcire' ut Lucr. 2. 1141, 'fultura' Hor. *Serm.* II 3. 154, neue *fulcimenta* serioris tantum Latinitatis esse uocabulum existimes, apud Ouidium extat 'fulcimen' quod plane gemellum est.

v 135

hinc fidae mentes tremebundaque corda creantur

'*fidae* mentes' absurdius est: sequitur enim 'tremebunda corda, suspensa ad strepitus leuibusque obnoxia causis.' scribe *INfidae.* a *fidae* distractum *in* in *hinc* abiit; sic apud Prop. I 20. 12 'Enhydriasin' ('Hamadryasin') in 'amadrias hinc' et II 29. 27 'intactae' in 'hinc castae' deprauatum est.

v 180 sqq.

et Calydonea bellantem rupe puellam
uincentemque uiros et quam potuisse uidere
uirgine maius erat, sternentem uulnere primo

quam. immo *QVEM.* aper enim erat, ne dicam de feminino genere inconcinnius et subambigue hic usurpato. *quam* Iacobo quoque displicuit.

et hoc quoque loco, ut paulisper ab itinere deflectam, uidetur obuersari nostro Propertius. nam ut taceam de Meleagri flammis absentibus quod potuit uel ex Propertio (3. 22. 31) uel ex Ouidio (*Fast.* 5. 305) haurire, illud quod sequitur 'mox Atalanteos conatum ferre labores' et re (cf. Propert. 1. 1. 9 sqq. 'Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores | saeuitiam durae contudit Iasidos,' sequitur 'Calydonea rupe' quod idem est atque 'Arcadiis rupibus' ib. 14) et uerbis ('conatum,' 'labores') Propertium reuocat. fortasse etiam 'uidere' a Propertio, quamuis aliter hic dictum, uenit. nam, quod nemini qui poetas legit ignotum esse arbitror, homines hi priorum uerba interdum secuntur, sententias deserunt suntque sui in locutione aliena[1]. occasione data adiecerim illud in Propertio 'uidere feras' sine idonea causa esse temptatum. nam quod aiunt *uidere* tum demum pro *adire* usurpari cum aut locus aut status significetur, Latino sermoni suas leges imponunt. testis [Senecae] *Ag.* 630 sqq. 'qui *uidet uultus* Acherontis atri | quique non tristis Styga tristem *adire* | audet,' Ouid. *Met.* 14. 125 sq. 'quae me *loca* mortis *adire*, | quae loca me *uisae* uoluisti euadere *mortis*'; uidet mortem qui mortis loca adit. respuit rationem illam etiam Vergilius *Aen.* 3. 431 'quam semel informem uasto *uidisse sub antro* | *Scyllam* et caeruleis canibus resonantia saxa.' dic enim sodes, Scylla illa, quae 'canibus rabidas inter *fera* serperet undas' (*Pan. Messallae* 72), utrum locus erat, ut esset locus in loco, an status? certe qui uidit Scyllam, uidit feram. ut ad Manili Propertique societatem reuertar, nonne Maniliana illa I 511 sq. 'Troianos *cineres* in quantum oblita refouit | imperium! fatis Asiae iam *Graecia pressa est*' multa de quarti libri elegiarum carmine primo in mentem reuocant; 4. 1. 53 sq. 'uertite equum, Danai, male uincitis; Ilia tellus | uiuet et huic *cineri* Iuppiter arma dabit,' ib. 116 'et natat exuuiis *Graecia pressa* suis' (quod non premerem nisi utrumque de Troiae ultione diceretur). huc accedet IV 23 sqq. 'aut nisi fata darent leges uitaeque necisque | fugissent ignes Aeneam? Troia sub uno |

[1] insigne huius rei documentum Martialis locus 4. 86. 9 sq. 'si damnauerit, ad salariorum | curras scrinia protinus licebit' cum Catulliano illo unde fluxit comparatus 'nam si luxerit, ad librariorum | curram scrinia.' locos contulit amicus noster Iac. D. Duff in editione lib. v Lucreti p. xix.

non euersa uiro fatis uicisset in ipsis? | aut lupa proiectos nutrisset Martia fratres? | Roma casis enata foret? pecudumque magistri | in Capitolinos sanxissent fulmina montes | includiue sua potuisset Iuppiter arce? | captus et a captis orbis foret?' huius loci totum argumentum ex eodem Properti carmine pendere uidetur, uide uu. 44, 55 sq., et qui supra laudati sunt 53 sq. neque hic absonum erit commemorasse in *Decii* (plur.) uocales in unum contraxisse duos tantum scriptores, Propertium u. 45 et Manilium I 789 si optimi codices sequendi sunt: sic etiam *Horatia pila* pro *Horatiorum pila* Propertius (3. 3. 7), *Horatia facta* Manilius V 107. comparandi sunt Prop. 2. 25. 43 'uidisti patriam Argiuas (ita egregie Housmannus) *prodente* figura' et Manil. IV 722 'et *Syriam produnt* torti per tempora crines'; mox Prop. 4. 7. 27 'denique quis nostro *curuum* te *funere* uidit?' et Manil. IV 845 sqq. 'haec quoque signa suo pariter cum sidere languent | *incuruata* simul solitoque exempta uigori | et uelut *elatam* Phoeben in *funere* lugent?', uterque tritam uiam relinquentes, sed astrologus paene Icarus. Propertius 3. 15. 39 'Antiope, cognosce *Iouem*' h. e. 'Iouis ueram potentiam,' Manilius V 96 'morte *Iouem* didicit,' id uerbum idem eodem detorquentes. mox 'caeli.. iter' uterque 2. 1. 20, V 655. audacter Propertius (2. 5. 27 'scribam igitur quod non umquam tua deleat aetas'; sed audacius Manilius V 398 ubi quidam *hamos* legunt[1]. fortasse etiam notissimus ille Properti locus in quo et nos et alii frustra desudauimus interpretes, 2. 12. 5 sq. 'idem non frustra uentosas addidit alas | fecit et *humano corde* uolare deum' loci Maniliani (I 717 'inquiruntque *sacras humano pectore* causas') ope interpretandus est ut sententia sit 'sagacitate quamuis humana dei naturam perspexit repraesentauitque.' haec si *ἀνωμαλέστερον* dicta esse uidebuntur, in *haud uano* Nodelli inuento acquiescendum. paene oblitus sum subiungere *modo* particulam particula *etiam* excipi apud Mani-

[1] durior etiam alterius uerbi apud Propertium (4. 5. 29) usus si ab Heinsio *exstimulare* uel *et stimulare* ab aliis accipias—recte tantum uerba interpretanda sunt—'exstimulare *uirum* pretium facit: utere causis: | maior dilata nocte recurret amor.' *uirum* enim 'uirilitatem' 'libidinem' significare uidetur, qua stimulata amor maior recurret. conferendum Manilianum illud V 151 'atque odisse *uirum* sterilisque optare lacertos.' multo certe facilius Catullus, qui utrumque praecesserat, 63. 6 'relicta membra sine *uiro*.'

lium I 898—906 ubi uerbis 'externas *modo* per gentes' uerba 'ciuilis *etiam* motus cognataque bella | significant' opponi recte monet Tappertzius (p. 30). unde apparet per grammaticae quidem leges quae in Properti primo carmine uu. 11—13 praebent codices licere dici; de sententia uero audiendus fortasse Housmannus (*Journal of Philology* t. xvi. pp. 19 sqq.)[1]. iam de uocabulis aliquibus ex. gr. *census*, et *per* et *sub* praepositionibus, quibus uterque scriptor mirum in modum, si consuetudinem spectes, abutitur, pauca additurus eram; sed legentibus parcendum.

v 183 sq.

quaque erat Actaeon siluis metuendus et ante
quam canibus noua praeda fuit.

pro *quamque* quod habent codices male a Gronouio *quaque* acceptum est. legendum QVIque. sententia est: 'colunt Meleagrum Herculem Atalantam, etiam Actaeonem, illum scilicet qui siluis metuendus, non illum qui canum praeda erat.'

v 209 sqq.

qua subdente facem terris radiosque mouente
dimicat in cineres orbis fatumque supremum
sortitur

lege dEMiGRat. orbis in fauillam abit.

v 280 sq.

et si forte labor ruris tardauerit artes
quis sine nulla Ceres, non ullus seminis usus

Spicae sidus suis partubus opera bifariam distribuit, his qui ualidiores sint ut ruris colendi laborem suscipiant, illis autem ut quae domesticae sint et ad penum magis pertinentes artes sequantur. quod senescentium magis erit et illo labore tardatorum. itaque pro 'ruris' reponendum *uiris* ex melioribus codicibus et interpungendum

et si forte labor *uiris* tardauerit, artes
quis sine nulla Ceres *et q. s.*

[1] rem incertiorem faciunt et *Hylaei* ex codicum *psilli* non sine ui aliqua erutum et Ouidi locus (*ars am.* 2. 185 sqq.), coniecturae illius subsidium, cum Propertio non omnino congruens, cum hic *ramum* centauri, ille *arcum* commemoret. qui si Propertium imitatur, *ramum* ut in uerbo ludat pro arbitrio summutauit.

'artes' ab 'ingenerat' (u. 272) pendet. idem a 'subdere—ducere' et q. s. explicatur.

v 302.

mittebatque suos ignes et mille carinis.

haec emendasse uidetur Ellisius scripto 'mittebat saeuos ignis qui mille carinis.' nam *qui, que, et* facile inter se a librariis confunduntur, facile etiam illud *seuos* in *suos* abiturum erat. quod uero ad sententiam attinet, omnino conferendus est Nasonis locus, *Metam.* 13. 91 sqq., ubi habes non Teucrum sed Teucri comitem Aiacem easdem sibi laudes adrogantem. si credis aliquem haec ex Ouidio sumpta huc intulisse, dic, quaeso, cur fabulam mutauerit?

v 319 sq.

non illo coram digitos quaesiuerit hasta
defueritque bonis sector.

sic uulgo cum Bentleio legitur. sed codices *digito qui* (*que, qua*) *iuuerit* (*quiuerit, iuuerit*) tradunt. ac *digito* quidem recte se habere docuit Ellisius *Noct. Man.* p. 180; ex ceteris *REQVIEVERIT* facile elicueris. nam *re-* in codicibus haud raro intercidit, unde Grattio (482) reddendum 'supplicibus *re*uocanda sacris tutela deorum'. digito, hoc est licitatione, cessante requiescit hasta.

v 338 sq.

hic distante Lyra cum pars uicesima sexta
Chelarum surget quae cornua ducet in astra.

uicinorum uersuum fines inter se migrarunt, de qua re conferenda quae ad III 374 sqq. adnotata sunt, ut rectissime iudicauit Scaliger. cornua enim Lyra habet, Libra (uel Chelae) non habet. recte etiam idem '*s*ic dictante Lyra' correxit, cf. II 407, IV 177, 569 et quae non multo aliter Propertius dixit (4. 1. 133). male tamen fecit quod uersus distraxit meritoque ob id ipsum a Bentleio notatus est. frustra fecit etiam Iacobus cum uersum 338 ad priora pertinentem sequentibus adnecteret. utrumque scilicet, quod ceteros, fefellit post u. 340 haud paucos intercidisse uersus, quibus expositum esset quae stella cum parte XXVIa Librae surgeret et natorum sub ea

mores depingerentur. hoc semel monito satis patebit uersus sic cum prioribus cohaerere:

quin etiam curas inter secreta mouebit,
carmina furtiuo modulatus murmure uocem
solus et ipse suas semper cantabit ad auris,
sic dictante Lyra quae cornua ducit ad astra.
Chelarum surget cum pars uicesima sexta,
* * *

v 353

aut onerabit equos armis aut ducet in arma.

haec quae uiris doctis merito displicuere, duarum litterularum inter se transitu emendari poterunt. *aut onerabit equIs armOs;* confer Horati uerba *Serm.* I 6. 104 'mantica cui lumbos *onere* ulceret atque *eques armos.*'

v 439 sqq.

adnumeres etiam illa licet cognata per artem
corpora quae ualido saliunt excussa petauro
alternosque cient motus delatus et ille
nunc iacet atque huius casu suspenditur ille.
membraue per flammas orbesque emissa flagrantis
molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis
delphinumque suos per inane natantia motus
et uiduata uolant pennis et in aere ludunt.

in u. 442 pro *nunc* Gemblacensis *huc*, Vossianus alter et Matritensis *hunc* habent. postulat ratio ut *hVIc* scribatur. sic optime inter se respondebunt sententiae totius partes.

mox in 445 quod Scaliger coniecit 'suo—imitantia—motu' nimis multa immutat; melius Ellisius 'notantia.' sed praeteruidisse utrumque suspicor 'delphinum' pro genetiuo posse accipi; cetera sic emendaueris *cITos—ROtantia.* κυβιστητῆρες hi 'delphinum ueloces per auras saltus rotando exprimunt'; cf. Nonni Dionys. III 26. *cito motu* noster dixit v 163 et *citos ictus glomerare* ib. 167.

v 459 sqq.

quin etiam tragico praestabunt uerba cothurno
cuius erit quamquam in chartis stilus ipse cruentus

nec minus et scelerum facie rerumque tumultu
gaudebunt atri luctum memorare sepulchri
ructantemque patrem natos solemque reuersum
et caecum sine sole diem. Thebana iuuabit
dicere bella uteri mixtumque in fratre parentem
quaerere Medeae natos fratremque patremque
hinc uestis illinc flammas pro munere missas
aeriamque fugam uectosque ex ignibus annos.

haec ad expedienda paullo longiore disputatione opus erit. in u. 462 ita uariant codices ut *atri* pars maior, *aure* Vossianus secundus, ut uidetur, *auri* Matritensis exhibeat, mox pro *luctum* quod quidam praestant, Gemblacensis, Cusanus, Vossiani, Matritensis *luxum* commendent, dein cum in ceteris sit *sepulchri*, Vossianus alter, Matritensis et a prima quidem manu Lipsiensis *sepulchra* praebeant. in proximo uero uersu solus a ceteris dissentit Gemblacensis, dum '*l*uctantemque patrem nato' legit. haud uno tamen argumento refellitur: nam et 'natos' ab Atreo adpositos Thyestes, non 'natum,' comedit et facillime 'nato*s* solemque' in 'nato solemque,' 'ructantem' in 'luctantem' abiturum erat, cum praesertim 'luxum' uel 'luctum' antecessisset, contra uero uix ullo modo deprauari posset. huc accedit quod, si locum illum Senecae de quo infra dicetur huc rettuleris, etiam illud obici poterit, rectius dici in tali re natum cum patre quam patrem cum nato luctari. quare ualeat hoc Gemblacensis inuentum. eodem abeat *sepulchra* quod ne ipsi quidem Iacobo, qui unus recepit, satis placuit. iam *atri*, mortis funerisque uolgare epitheton, in hoc immani Atrei scelere nihil proprii habet. repone *TAEtri*, *t* scilicet post 'gaudebun*t*' amisso. sic enim ipsum facinus appellatur a Seneca, *Thyest.* 785 sq., 'uerterit currus licet, | sibi ipse Titan obuium ducens iter | tenebrisque facinus obruat *taetrum* nouis | nox missa ab ortu.' *taetri sepulcri* dictum ut in re simili 'crudeli sepulcro' ab Ennio *Ann.* 139 (Mueller) de uolturio hominem comedente. *luxum* si retinendum uidebitur, proximum fortasse erit quod Silius habet 11. 400 'combibat illapsos ductor per uiscera luxus.' sed illud *luctum*, quod per se quidem nihili est, potest, modo ne interpolatoris sit, *luctAm* innuere istam de qua loquitur Seneca ab Ellisio laudatus,

Thyestes 1044 sqq. 'hoc est quod auidus capere non potuit pater' | (itaque *ructat* pater natos), 'uoluuntur intus uiscera et clusum nefas | sine exitu *luctatur* et quaerit fugam.'

secuntur uerba 'solemque reuersum | et caecum sine sole diem, Thebana iuuabit | dicere bella uteri.' hic *sole* post *solem* nullo modo ferendum est, quod iam multi senserunt, et satis mire pro *thebana* in Vossiano primo et Cusano *tit(h)ana* traditur ut ab Ellisio didicimus. bene idem adnotauit 'Titanis' mentionem in hoc facinore frequentari (*Noct. Manil.* pp. 195 sq.). quapropter ueri simile uidetur '*TITANA* reuersum' a Manilio datum esse; hinc in illius *Thebana* locum in iis quos nominaui codicibus translatum esse, illud uero *solemque*, enarrandi gratia supra scriptum, 'Titana' sua sede expulisse.

qui sequitur uersus (467) 'hinc uestis, illinc flammas pro munere missas' quid hic sibi uelit, nescire me fateor. de uestibus flammigeris accipiunt, quas Creusae misit Medea. sed ad illam non hinc uestes, illinc flammae sunt missae, sed utraeque indidem. haec quicumque scripsit (neque enim continuo a Manilio abiudicauerim) de Hercule scripsisse credo. illi enim uestes misisse Deianira, flammas Nessus rectissime dicitur. omissis his cetera optime inter se cohaerebunt.

> nec minus et scelerum facie rerumque tumultu
> gaudebunt; TAETRI luctam (*uel* luxum) memorare sepulchri
> ructantemque patrem natos, TITANA reuersum
> et caecum sine sole diem. Thebana iuuabit
> dicere bella uteri mixtumque in fratre parentem
> quaerere; Medeae natos fratremque patremque
> aeriamque fugam NACTOSque ex ignibus annos.

post *quaerere* plenius, ut uides, interpunxi, mox pro *uectos* (*nectos*, *notos*), quod codices habent, *NACtos* scripsi. uerbum enim passiue accipiendum, cuius rei lexica exempla tibi suppeditabunt, nesciebant librarii.

v 479 sq.

> externis tamen aptus erit nunc uoce poetis,
> nunc tacito gestu.

neque *hesternis* quod Gemblacensis, Lipsiensis, Vossianus alter, Matritensis tradunt recte probaueris neque *externis* quod ceteri. quo modo enim actores nihil nisi externorum tantum scriptorum opera acturi sunt? quin *AEternis* reponis, quod alibi quoque cum *externis* et *hesternis* in libris scriptis permiscetur et hic quidem a uersu 475 'quis in cuncta suam produxit saecula uitam' egregie fulcitur. dicit Manilius Cephei partus, si uires defecerint quo minus ipsi immortalia pangant carmina, tamen illis immortalibus poetis uoce et gestu in scaena seruituros.

v 483

aut magnos heroas aget scaenisque togatas

'versus spurius et barbarus,' sic ille Bentleius, sed non omnibus persuasit. rem propius uideamus. sub Cepheo nasci dicit Manilius et tragicos scriptores (459—471) et comicos (471—477). hoc in auctoribus diligenter seruatum discrimen cur non in actoribus seruarit? seruauit credo; sed aboleuit uel aętas uel casus. post *togatus* siue *togatas* malis (nam de hoc quidem liberrima sane coniectatio est) hiat oratio. lacunae signo post uersum posito, reliqua sine offensione et Manilio utique dignissima sunt.

v 494

cumque hominum dederit strages dabit ille ferarum.

huius uersus emendandi uiam praemonstrauit Barthius, qui *deerint* (puto deerunt) coniectasse dicitur. facilius est *DERIT. strages* fortasse ab auctore est quamuis *strageM* concinnius. contra Bentleius 'versus, opinor, spurius sententiam mediam interrumpens.' interrumpere fatendum est. quare anteat qui nunc sequitur uersus; nihil iam uideo quod in eo culpetur, qui sic cum ceteris cohaerebit:

illius in terris orientis tempore natus 492
ad spolia et partas surget uel caede rapinas
nec pacem a bello, ciuem discernet ab hoste, 495
cumque hominum DERIT strages, dabit ille ferarum 494
ipse sibi lex est.

v 501 sq.

et quia non tractat uolucris sed suggerit arma
immissosque refert ignes.

immo *Emissosque refert*, ne suam auem Iuppiter petat.

v 527 sqq.

ille etiam fuluas auidus numerabit harenas
perfundetque nouo stillantia litora ponto
paruaque ramentis faciet momenta minutis.
protulit ut legeret census spumantis in aurum 530
et perlucentes cuperet prensare lapillos
uerticibus mediis oculos immittet auaros.

uersus 530, quem una cum u. 531 Bentleius pro spurio damnauit, Manilium totus sapit. 'census spumantis in aurum' nisi Manilius ipse scripsit, quo tandem indicio genuina a spuriis in hoc auctore discernenda sunt? in u. 531 *cupiens* pro *cuperet* reposuit Pingraeus estque unice uerum. nam illud *legeret* corruptum iam ipsum contagione quadam etiam *cupiens* corrupisse consentaneum est. in idem incidit Iacobus, in ceteris minime felix cum neque *Phorcyos* neque *regerat* ad auriflua flumina quicquam pertineant. poeta in auri argumento ornando primum de effodiendo (524 sqq.), mox de lauando (527 sqq.) de quo multis egit Plinius *N. H.* 33. 74 sqq., deinde de legendo dixit. quocirca *Pactoli* (quod et ipse conieceram) a Breitero accepto, cetera sic corrigere facile erit,

Pactoli ILLE LEGET census spumantis in aurum.

corruptelam sic explico. uerba male diuisa et *in* pro *il* scriptum, uelut in IV 611 'Inlyricum' pro 'Illyricum' exhibet Matritensis. mox *ut* pro *in* irrepsit et *r* pro *l*; conferantur quae in capite III dicta erunt.

v 567.

aura per extremas resonauit flebile rupes.

resonauit Augusteae aetatis auctorem scripsisse uix est credibile. nam quod Horatio *Serm.* I 8. 41, 'resonarint' adscribitur, optimorum librorum fide non nititur[1]. *u* et *b* litterae

[1] quae alia congessit Neuius (*Formenlehre der Lat. Sprache*, ed. Wagener, III. p. 376) sequioris omnia aetatis sunt.

cum codices Maniliani haud semel inter se permisceant et tempora temporibus uicinis accommodare sollenne uitium describentium sit, *resonaBAt* libens rescripserim. certe ratio imperfectum postulat.

v 589 sq.

> quae tua tunc fuerat facies! quam fugit in auras
> spiritus!

quam fugit! Latine dici pro *ut fugit!* ne Bentleius quidem euincet. quid inter utrumque distet, ex uno Ciceronis loco satis elucebit; *de Fin.* 5. 61 '*ut* se accusari *nolunt*!' (nam nolle quidem gradus non habet) '*quam cupiunt* laudari!' (cupido enim nunc maior, rursus minor est). neque abhorrent ab hoc exemplo quos Lachmannus ad Lucr. 4. 1203, Munro ad eiusdem 2. 1038 citauit locos, nisi quod male in hunc numerum cogitur 2. 1038, qui sic debuit interpungi,

> nil ut opinor; ita haec species miranda fuisset,
> quam tibi iam nemo fessus satiate uidendi
> suspicere in caeli dignatur lucida templa.

quam, scilicet speciem. nec refragatur huic rationi Valeri Flacci locus, cuius mihi inter scribendum in mentem uenit 1. 172 sq. 'quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores! | quam referam uisas tua per suspiria gentes!'; sed hoc sibi illa uolunt uerba 'quam (uel 'quantum') suspirabis cum referam.' quae enarrandi ratio in hunc locum non caderet. hic codices *qua, quas, quae* uel etiam *ut* praebent. reponendum QVI quod ab his omnibus tantundem distat.

v 646 sqq.

> nixa genu species et Graio nomine dicta
> Engonasi ignota facies sub origine constat
> dextra per extremos attollit lumina pisces.

sic emendat Bentleius, sed nusquam, credo, infelicius. primum '*Engonas*in,' non *Engonas*i, scribendum erat, sicut Scaliger et Reinesius scripserunt, deinde in talibus uocabulis ut illud *-si* eliderent, haudquaquam sibi permittebant poetae Latini, postremum prorsus alia indicantur codicum ipsorum uestigiis

et comes (uel *comas* uel *gonas*) *inguicola uides* (*iuguion landes* in Vossiano altero[1]). bene Rossbergius et Thomasius, '*cui* uincta *fides*' et '*cui* nulla *fides*' emendarunt nisi quod, epitheton fidei quod fuerit, non perspexerunt. *cui* enim sub *gui* latet, *fides* sub *uides*. restat ut CLAVDA reponamus quod a litteris minimum abest et cum nixi genu specie optime quadrat. *clauda fides* dixit etiam Silius 13. 33. corruptelam sic explicamus; ex *cloda* pro *clauda* littera *d* deperiit sicut in *dulcis* nonnusquam et *o*, *l* inter se transpositae sunt.

[1] 'iugui eula uides' in Matritensi.

CAPVT III.

DE MATRITENSIS CODICIS PRETIO ET DE QVIBVSDAM MANILIANORVM CODICVM CORRVPTELIS.

Restat ut pauca dicam de codice Matritensi quem nuper Ellisius repperit eiusque lectionum excussam uarietatem publici iuris fecit *Classical Review* tomis VII et VIII. in uniuersum recte ille et de fide pretioque codicis et de eius cum Vossiano altero cognatione uidetur iudicasse. uterque enim procul dubio ab eodem quasi fonte profluxit, unde ueritatis in utroque aliquot uestigia seruata sunt quae ex ceteris codicibus perierunt. ut cum Vossiano multum, ita per se haud minimum ualet. lectiones eius optimas in *Hermathena* t. VIII. pp. 270 seqq. iam congessit Ellisius, deque iis nihil opus iterum disserere. sed in eundem numerum etiam aliae dignae sunt quae recipiantur et pro Manilianis haberi possint. has infra subnotauimus. ad rem orthographicam maximam partem spectant.

I 138 *umor* 141 *umida* 210 *ignis* 216 *canopō* h. e. *canopon* 323 *monimenta* fortasse recte 390 *umeros* 421 *gigantas* 426 *adgressos* pro *adgestos* (*aggestos* ceteri) et similia passim, fortasse recte 440 *ingentis* 502 *Arctos* scriptum fuerat 594 *partis* 596 *signantis* 647 *ab igni* 675 *terris* unde *trĩs* pro *tris* elicias. *e* supra scriptum cum ' h. e. *er* confusum est; cf. adnotata ad III 324 sq. supra 687 *oblicum* 743 *errantis* 749 *referencia* (*reserantia* uulgo, quod sensu cassum) 771 *mentis* 866 *ignis* 882 *Labentis* 887 *medice* h. e. *medicae* optime; cf. Lipsiensis indicia.

II 68 *inposito* cf. 65 *inriget* 89 *inmittit* et similia saepe 182 *E* pro *Et* quod ceteri 246 *arquitenens*, sic etiam 408, 523 IV 560, 708 V 358, 365; cf. R. Georges *Lexikon d. Lat.*

Wortformen sub uerbo *arcitenens* 268 *partis* 310 *tris* 317 *finisque* cum Lipsiensi aliis 319 *partis* 341 *adfectus* et similia alibi 342 *trigonis* ut L^1 349 *tris* 398 *submota* et similia alibi 423 *Ne* recte 449 *fers stellas* (cf. *fer* L^1, *fert* ceteri quod a uero longius abest) 507 *erigonen* (sic) 624 *querella* fortasse recte 633 *Scorpios.*

III 133 *nutricia* recte 140 *ualecudo*, h. e. *ualetudo*, a prima manu 187 *tun* pro *tum*, ut uid., quod melius 278 et 526 *sequntur* et in 516 *secuntur*, utrumque probum 316 *quoquat* 325 *conuexsa* fort. recte 332 *limiter octo* propius uero quam quod ceteri habent 492 *partis.*

IV 13 *que ſellis* sic in archetypo scriptum esse *que rellis* euidentissime demonstratur 28 *montis* 154 *gracilis* 254 *noctis* 269 *pontisque* 304 *caeco* ut coni. Scaliger 514 *tibi* recte 594 *similis* recte (cum V_2 L si fides Iacobo) 601 *derectis* recte cf. quae supra adnotauimus (p. 21) 625 *fugentis* h. e. fugient*is* 669 *harenas* 727 *uirginis* h. e. *inriguis* potius quam *irriguis* 728 *harenosis* 740 *elephantas* rectissime, cf. *elephanta* V 706 754 *arabas.*

V 23 *Andromedan* 34 *uisere* recte receperat ab aliis codicibus Bentleius 80 *oblicum* 122 *tenentis* et 219 *quam nec* ut Vossianus alter. fuerat in archetypo n^i, hoc est *nisi* quod coniecit Rossbergius. hoc n^c h. e. *nec* librario uisum est 280 *actis* h. e. *artis* 283 *pendentis* 324 *staenae*, in exemplari fuisse *scaenae* luce clarius est 452 *mentis* 477 *charus*, hoc est *chartis* 681 *Vmoris* 684 quo*queret.*

quae in codice secundum ueterum normam scripta exhibentur, ut 'part*is*' 'umor' similia, quo de genere plura uide apud Ellisium in Hermathenae loco citato, ab ipso librario certe non prouenerunt. nam ne mediocriter quidem doctus erat. itaque pro insigni fidei ac bonitatis argumento sunt. sed illud etiam insignius quod in eo ipso loco quo *quadrata* per compendium □ta scriptum esse ingeniosissime diuinauerat Bentleius (II 290) Matritensis 'Haec ta' praebet, largiore quam quod solet spatio inter 'haec' et 'ta' relicto. huc accedit quod in IV 745, ubi idem Bentleius Capricorni notam ♑ pro *Caprum* scriptam a librariis corruptam esse coniecerat, hic codex *uerxis*, in quo latet notula de sede sua in alienam transposita, fidelissime

conseruauit, cum ab aliis atque optimis illis quidem codicibus in *ueris* refingatur. in II 270 uero scriptum in archetypo fuisse *a* ⏏ *is* quod in Matritensi *a libra*, in ceteris *a libris* factum fuerit consentaneum est; uere Bentleius *chelis* correxit.

finem opusculo nostro imponat breuis corruptelarum quarundam mentio in Manilianis codicibus extantium atque earum quidem quae ad illa quae corrigendi nomine supra temptauimus potissimum spectant. haec eo breuior et poterat fieri et debebat, quod ipsius Becherti copias, unde paene tota desumpta est, in nostro poetarum Latinorum corpore spes est breui tempore in lucem proditurae. quocirca non segetem hoc tempore sed de segete spicas quasdam tibi, Lector, adponimus. qui secuntur inclinata forma numeri eorum sunt locorum quos in superioribus tractauimus.

litterae confusae et aliae et hae:

a et *e* II 147: *II 71, IV 269.*

„ *i* I 152 (*tenuis* >*-as*), II 28, 606, III 373: *I 128, IV 269, 417, V 133.*

„ *o* III 20, 56: *IV 882, V 445, 462.*

„ *u* I 130, IV 539: *I 244*, cf. *II 322, IV 201, 269.*

e (uel *ae*) et *i* II 50, IV 853: *V 542, II 5, 501.*

e „ *o* III 332, 345: *III 538, IV 890*, ? *V 44.*

„ *u* III 498 *continua* > *contineat*: *III 527.*

i et *o* II 881, III 595, IV 180 itaque *-os* et *-is* IV 670: *II 5.*

„ *u* II 211, 464, 505; itaque *i* et *-um* (*ū*) I 801, III 66, 496: *III 375, IV 669.*

o et *u* II 196, III 495: *I 843, II 621, III 538*; itaque *um* et *o* IV 647: *IV 892.*

u et *b* III 331, 350, 577: *III 616, V 567.*

c et *g* V 89, 476 (*cefeus* > *gestus*): *II 888, V 210.*

„ *p* III 277 (*pereant* > *careant*), IV 303 (*consaepta* > *conspecta*): *III 527, IV 417.*

„ *e* I 529 *cadere* > *eadem*, IV 162: *I 780.*

„ *s* IV 539, 635, 696, 844: *II 621, IV 882, V 339, 445.*

„ *t* V 290 (*tonantis* > *tenacis*), I 845 (*hirta* > *hirca*): *IV 541.*

d et *cl* IV 524 *unda* > *uincla*: ? *V 133.*

f et *s* (*f*) I 224 (*infectis* > *consectis*) V 97 (*de sidere* > *diffidere*), 392, 470: *V 514.*

n et *r* I 830 (*immersum* > *immensum*): ? *IV 796, V 501*; cf. *I 779, IV 501.*

„ *u* (uulgaris corruptela): *V* 468.

q(u) et *c* II 968: *II 5, III 89.*

r et *l* (V 404 *lapidum* > *rap.*, IV 830 *resorbet* > *resoluit*): *II 5, V 51, 530.*

„ *t* III 332, 635 *iterum* > *rerum*: *V 542.*

s et *t* I 599 (*textu* in *sexti* et *sexto* corruptum), 866: *IV 890,* ? *V 44.*

ti et *u* (uel *n*) V 477 *c*(*h*)*artis* > *c*(*h*)*arus*, II 9 *latices* > *lances*: *V 445.*

inflexiones uocabulorum confusae cum aliae tum hae:

-s et *-m* I 192, II 422, 937, 493, III 547: ? *II 944*, ? *IV 581*, ? V 494.

-s et *-t* (supra).

-em et *-it* (*facem, -it* II 3): *II 620.*

-ti et *-di* II 767: *IV 141.*

uerborum imprimis uelut *-at, -et, -it* II 449, 571, 583 *-etur, -atur* III 369 *-unt, -ant, -int* (II 877) *-unt* et *-it* I 455, 850 (atque in uno quidem loco pro *ducit* habent codices alii *ducunt*, alii *ducat*, alii *duxit*) unde indicatiuus et subiunctiuus facile inter se commisceantur; III 45, 63, 309: *II 347, II 620, IV 888, V 567.*

litterae detrahuntur acceduntque cum aliae, tum hae

h detrahitur acceditue (uulgaris corruptela): *II 71, V 135.*

p detrahitur I 764 *ilium* pro *pylium*: *IV 689, V 51.*

t detrahitur acceditue II 937, III 538, 542: *IV 248.*

r detrahitur IV 676 *diuerso* > *diuiso*: *II 621, V 514, IV 882, V 210.* accedit I 340 *plumea* > *plurima*: *II 620, V 514.*

s imprimis in fine uerborum detrahitur acceditue II 122, III 607, IV 541, IV 91, 190 (*nodo* > *nudos*): *I 128, II 534, IV 114.*

m et *n*, lineola nimirum significatae, detrahuntur quod ita tritum est ut ne doceri quidem debeat; acceduntque, III 127, 139, 179 (in Gemblacensi qui hoc uitium frequentat), 328, 398, 601, 607, 617, 635, 673, 766: ? *I 429, II 322, III 598* ? *V 133.*

re syllaba intercidit I 715 in '*re*supina': *V 319.*

simplices litterae geminantur, geminae diuiduntur I 850 *excurrunt* > *exurunt* et *exurit*: *II 71, 347, III 598, IV 602.*

litterae etiam uicinarum quadam similitudine excidunt: *V 462, 542.*

uerba confusa cum alia, tum haec:

et—nec II 560: *I 890,* ? *II 571.*

et—at I 118, II 929: *IV 703.*

est—et II 604, V 243: *IV 890.*

que—ue II 480, 571: *II 71.*

sunt detracto *s* et *ut* II 226: cf. *IV 200.*

sic—si II 887: *I 637.*

ut—in III 411: cf. *V 530.*

in-(*im-*)*—e-* I 14, 155: *V 502.*

eat—erat IV 702, 919 alibi: *III 596.*

partus—partes II 543, 726: *I 843.*

pax—pars II 604: cf. *II 620.*

rapere—capere (uulgaris corruptela): ? *IV 224.*

rupes—ripas V 228: *IV 690.*

uolare—locare II 58: *I 812.*

qui, quis, quae cett. inter se temere confunduntur III 34, 35, 68, 80, 103, 129, 140, 208, 228, 300, 513: *II 534, V 181, 183, 589.*

quin et *quum* I 896: cf. *II 619.*

uerba male coniunguntur, distrahuntur I 181 *cadat et* > *caderet*, II 196 *sors umoris* > *sursum oris*, III 332 *limite recto* > *limitet octo*, IV 844 *se tum* > *cecum*: *II 5, IV 173, 200, V 135, 529, 892.*

transponuntur inter se litterae *V* 62 *agilem* > *aligem*, 729 *stipatum* > *spatium*: *II 542, III 325, IV 173, 269, 669.* **uel uerba** I 194, 300: *I 637, II 322, III 89, IV 726*; etiam metri causa (u. infra). **uel uerborum fines** V 330: *IV 848,*

v 353. **uel uersuum fines** IV 38 sq., V 338 sq.: *III 7, 374, 530.*

de uersibus transpositis adi indicem.

constructio male intellecta II 716, III 500, 637: *? I 471, III 377, IV 892.*

interpolatio quatenus in Manilianis codicibus progressa sit ad plenum inuestigare uetat opusculi huius breuitas necessaria et de uersuum quidem interpolatione multa dicta sunt in superioribus. est etiam aliud quoddam interpolationis genus cum uersus, qui genuini an spurii sint nihil interest, in locos alienos transtulerit indoctorum hominum siue stolidus error siue praua refingendi libido. sic in secundum librum migrasse uides II 232 ex quarto. nonne patet causa? uersum a sua sede auolsum indoctus aliquis cum nesciret ubi collocaret, in Aquarium, quem in u. 231 undas profundentem dispexerat, inuitum coniecit. iam u. II 644 'contemplere locum sedemque uagarum,' distractus a u. 651 'distat enim surgatne eadem subeatne cadatne,' sicut uerissime iudicauit Bentleius, post u. 643 collocatus est ob eam potissimum causam ut *solis signis* haberet sibi quod ex contraria parte responderet: idem in IV 204 sq. factum esse supra docuimus. II 409 amissi uersus sedem, ut uidetur, occupauit; huc qui intulit, *contraria* (409) cum *contrariis* (410) congregare uoluit.

uerba quoque haud uno loco interpolata esse uix negari posse uidetur: duo tantum exempla proferam uersuum metri causa attrectatorum. apertissime interpolatus est III 571 'bisque nouem nemee tribues bessemque sub illis,' quamuis Scaligero imposuerit. *Nemeaee,* Leonis compellatio, constanter a codicibus Manilianis in *nemee* deprauatum est. hic quispiam cum claudicare uersum animaduertisset, numeros, ut uides, suppleuit. uulgo corrigitur 'bisque nouem, Nemeaee, *dabis*': possis etiam 'bis *TRIBVES,* Nemeaee, nouem'; nam prius *que* fortasse ex superioris uersus initio 'Tuque' in inferiorem uenit. iam in IV 635 lectio sincerior numeros pessumdat 'Aegyptia Cypros pulsatus fluctibus omnis,' interpolata in hunc modum restituere conatur 'pulsatur Cyprŏs Aegyptia fluctibus omnis.'

haud raro apud Manilianos codices praepositio **e** uel **ex** in **et** deprauatum inuenitur. haec corruptela in nullo non scriptore uiros doctos plurimos nimis iocose ludificatur. alii enim uetustae illius scripturae, *ec* dico, quam Scaurus grammaticus[1] adfert improbatque, λείψανον esse affirmant, alii de illa tamquam naufragii quadam tabula depugnant et ab *ex* profectum esse *et* illud contendunt, alii, elapsurum credo ex manibus thesaurum, utrumque amplectuntur. sed secura de talibus librariorum natio haec omnia temere confundit ac permiscet. dic enim sodes tu qui, cum in aliquo codice *et* scriptum inuenisti, continuo *ec* fuisse suspicaris, qui quod Mediceus habet *et fulgere* (*Aen.* 2 616), quod Palatinus *et fundere* (*Aen.* 12 499), et *ecfulgere* et *ecfundere* pro Vergilianis uenditas, quid de *Aen.* 8 286 ubi Romanus *et uincti*, quid de *Aen.* 11 610 ubi a prima manu Mediceus *et hortantur* praebet, uidetur? num *ecuincti* scribis, num *echortantur?* hoc si reformidas, actum est de tuo *ec.* nec minus ille qui *ex* e talibus ecfodit, simili argumento et ipse iacebit. nam qui Vergili loco modo excitato (*Aen.* 11 610) aliisque id genus corruptelis incumbis, quid de ceteris facies? quidni in Verg. *Aen.* 8 610 ubi Mediceus a manu quidem secunda Palatinus Romanus *et gelido* praebent, *exgelido*, in *Aen.* 11 695, ubi Palatinus *et ludit*, *exludit* scribis? placebitne in Manilio I 351 *Exripit*, quod Matritensis *Et ripit* exhibet? non credo. quod si pro eodem *et* modo *e* modo *ex* rescribis, iam debes confiteri nihil te certi ex ista scriptura expiscaturum. aliud etiam genus est inania captantium qui ex multis unam *f* litteram eligunt cui *ec* illud uetustatis specimen subiungant. hi laudari possent si saepius quam pro ratione in ista littera peccari a librariis docerent: nunc uero dubium utrum magis inconstantiae nomine repre-

[1] p. 2260 (*Grammaticorum Latinorum*, ed. Keil, t. vii, p. 21. 14). conferri debent Terentiani Mauri u. 449, et Agroecii uerba (ib. t. vii, p. 124. 22) 'efferunt qui exportant, ecferunt qui laudando extollunt: idem Cicero: 'nimium haec illi fortasse ecferant.' cf. Nonium, p. 298. 1, 'M. Tullius de signis [Verr. Act. 2. 4, § 124] nimium forsitan haec illi mirentur atque ecferant.' *ec* grammatici hi, codices auctorum ueterum locis perpaucis (Neuius, ed. Wagener, t. ii, pp. 870 sqq.) lapides, quod sciam, nusquam agnoscunt. Vergilius, quantum indagari potest, *ec* nusquam uidetur scripsisse.

hendendi sint an superbiae. certe quae in Manilii codicibus huius corruptelae exempla adnotauimus talia decernentibus nihil fauent. scriptum est in codicibus II 764 'Et *f*luat' (pro 'effluat' quod Lipsiensis ab altera manu praestat, modo recte se habeat haec lectio). tum Ellisius adnotat ex Vossiano altero 'Et*f*unduntque' V 230. contra uero I 203 'et *t*oto,' 864 'et *m*ediis,' II 182 'et *g*eminis' 279 'et *p*aribus,' 446 'Et *I*ouis,' (in his omnibus locis Ellisius *ex* mauult), III 63 'Et *u*incunt' ('Euincunt' Voss. II), 375 'et *t*oto,' IV 607 'Et *n*atat.' etsi in tenui labor sit, at ut res absoluatur neque posthac aliis molesta sit, pauca etiam subicienda puto. quod ad composita quidem attinet, patet corruptelae initium in eo stetisse quod praepositio a uerbo aberrauerit. hoc in aliis quoque particulis accidere solet 'canities *semota*' V 690 quod Monacensis in 'canities *et nota*,' ceteri in 'canities *sed nota*' deprauarunt, in 681 'umoris' in 'ut moris' distrahunt Gemblacensis et Lipsiensis (num de *ucmoris* uel de *uxmoris* cogitabis?); in III 71 'Disposuit' in 'Res posuit' abit. hoc modo non solum *ex* et *ec*, uerum etiam, et fortasse saepius, *e* in *et* a librariis corrumpitur. magnam fidem adhibebunt illi loci ubi *e* praepositio, cum non esset, librariis est uisa; I 362 'Et motus' pro '[H]enioc(h)us,' II 552 'Et rigone' Matritensis pro 'Erigone,' V 735 'et quester' pro 'equester' idem, IV 455 'quina et' pro 'quinae' (conf. II 295 ubi 'quadrata e(f) fingere' in 'quadrat(a)e fingere' corruptum est). *(a)equalis* abit in *atque illis*, longius progrediente corruptela, in II 233 (correxit Scaliger) et 826 (correxit Bentleius); cf. 'atque hos' pro 'at quos,' 'atque ea' pro 'at quae' (II 545, 395), a librariis haec quoque profecta. obiter adnoto *et qualis* in *(a)equalis* demigrasse, ut apud nostrum III 135 et Propertium 3. 6. 22 nisi quod Neapolitanus uerum seruat, sic apud Ouidium in Fastis 5 471 sq., qui locus sic rescribendus est, 'noluit hoc frater, pietas *et qualis* in illo est, | quod potuit, lacrimas manibus ille dedit.' hic codex aliquis ex deterioribus *o qualis!* Heinsius *en qualis!* dedit. neutrum tamen loco satis conuenit. neque enim debet Remus pietatem fratris nimiis laudibus extollere qui, ut ipse periret, causa fuerit, quamuis inuitus. sententia est: 'noluit me interfici frater, et quod talis in illo est pietas, lacrimis quod

unum potuit, mortuum prosecutus est.' sic *qualis, quantus* apud ueteres usurpari ne tironibus quidem ignotum est. ad summam haec dico: nusquam audiendos eos esse qui ex *et* seu quae alia corruptela pluribus modis nasci potuerit[1], siue *ex* siue *ec* siue etiam *e* potissimum elicere conantur; ad illud unum animum attendendum numquid amet sequentis syllabae uel uocabuli initium, in quo haud inutilia congessit F. Harder, *Neue Jahrb.* 1890, p. 771.

[1] in *haec* illud *ec* latere posse concedendum est: obuersatur tamen animo Propertiani loci imago ubi *Eois* in *haec chois* et in *et chois* (I 15. 7) discessit. certe *haec, et* passim inter se librarii miscent. etiam pro *ex* et *et* interdum *ec* scriptum inuenimus ut apud Grattium 229 'eccitat,' et in nostri loco IV 453 pro '*et* tum' Gemblacensis '*ec* tum' habet. tantum casus in his omnibus pollet.

APPENDIX.

Ad *p.* 14 et *p.* 37. quae de *capiendi* significatione inaudita in IV 541 et IV 223 disputauimus, in alio utique scriptore rectissime colligerentur. sed ut in Manilio uereor ne corruptelae locos festinantius insimulauerim. nam *capere* in utrisque pro *praedari* uidetur posse accipi, si sincera sunt illa quae de Sexto Pompeio legimus I 920 sq. 'cum patrios armis imitatus filius hostes | aequora Pompeius *cepit* defensa parenti.'

Ad *p.* 33. quod in Cic. *de fin.* 3. 75 uerba 'recte solus liber' et 'recte inuictus' inter se fortasse transponenda esse diuinauimus, firmamenti aliquid ex aliis eiusdem auctoris locis qui similitudine aliqua cum illo coniunguntur, nancisci uidebitur. *Tusc. Disp.* 5. 32 'hic autem *uincetur*, ut dixi, nec modo uincetur sed etiam seruiet; at nos uirtutem semper liberam uolumus, semper inuictam': hic certe inter se respondere uidentur *inuictam* et *uincetur* sicut *liberam* et *seruiet*; confer etiam ib. 5. 78 et *de officiis* 1. 68. quare in locum Ciceronis succedat Statius qui haec habet *Silu.* 5. 5. 62 sqq. 'incitat heu planctus: potius fugientia ripas | flumina *deuincas* rapidis aut ignibus obstes | quam miseros lugere uetes.' non miror ibi Heinsium *detineas* temptauisse quamquam cauerit idem ne *deuincias* periclitaretur.

Ad *p.* 49. complura ex hoc libro quinto intercidisse uel ea res documento est quod Manilius, fidei haudquaquam fallacis auctor, quae in exordio libri pollicitus est nusquam 'cuncta' (u. 27) praestitisse uidetur. nihil enim de Eridano (15), nihil de Dracone (16), nihil de Perseo (22) dicit cum idem multorum siderum uires effuse tractauerit quae in exordio propria mentione non dignatus est. hinc spei aliquid nobis portendebatur posse de illo quoque sidere quod una cum XXVI° gradu Librae surgeret, diuinando aliquid reperiri.

hoc tamen inuidit nobis fortuna, quamuis meae ipse nec operae pepercerim nec fronti. plures enim uiros rei astronomicae gnaros, in quibus Robertum S. Ballium, equitem auratum, Franciscum W. Dysonum, Philippum H. Cowellium, E. H. Knobelium, qui uir ueterum quoque astronomiae peritissimus est, adire haud erubui, si quo eorum auxilio locis excussis, quibus sidera quoto cum gradu signorum zodiacorum singula surgerent a Manilio narratur[1], certi aliquid lectoribus proponeretur. loci tamen tantum inter se discrepant ut unam caeli faciem reddere uideri nequeant. quare hic satis sit adicere et Ballio et Dysono uisum esse cum Manilianis rationibus satis congruere eius stellae ortum quae Alpha Scorpii ab aequalibus nostris, a Ptolemaeo uero Antares nuncupatur, stella praeter alias rutila ac praeclara.

[1] sunt uu. 39, 58, 67, 102, 118, 128, 141, 159, 174, 197, 206, 234, 251, 271, 294, 312, 325, 340, 358, 366, 450, 491, 505, 538, 632, 642, 648, 657.

INDICES.

I. RERVM ET VERBORVM.

ac et *et* in *m* corrupta 21
accedere de mari 40
actus (*solis*) 32
adiuratus uox dubia 26 *n.*
adsonantes bis sibi uoces 28
aequalis et *et qualis* confusa 64
alchemia in IV 249 non innuitur 12
anima et *animus* 18
Antares (*a* Scorpii) stella 68
aplustra in naufragio 44
arces pro summo imperio 34
armos onerare 50
arquitenens 57
at sequitur *quamquam*, *etsi* 41
atquin pro *atqui* scriptum 10
auri artifices sub Capricorno sunt 12
bis et *uix* inter se confusa 31
capellus apud bonos auctores non reperitur 23
Capri, h. e. Capricorni, nota in *x* corrupta 58
capere 37, 67
carpere et *rapere* inter se distinguntur 14
citare uel *ciere* durius dictum 14
clauda fides 56
compendia scribendi confusa 22, 27, 31 *n.*
composita a librariis distracta 64
consummare 25
CORRVPTELAE CODICVM MANILIANORVM
deperditi uersus 44, 49, 67
mutatae sedis uersus
alio transponendi 2, 4, 5, 6 (bis), 8, 12, 13, 15
incertae sedis 9, 33, 52
spurii aut suspecti uersus 8, 11 (bis), 37, 43
ceterarum corruptelarum summarium 59 sqq.
curuae quadrigae 6
Cypria pro Venere 42
datiui audacior usus 9, 16 *n.*
Deci (plur.) pro *Decii* 47
decuma, *undecuma* 39
derectus 21, 58
deueneratus passiue 35
deuincere pro *deuincias* 67
discribere 41
durius dicta apud Manilium Praef. p. VI sq., 9, 14, 47
e, *ec*, *ex* cum *et* confusa 63
ec apud Vergilium nusquam exstat 63 *n.*
f post *f* excidit 2
ferae inter sidera 5
fulcimentum 45
funestare 40
gaudere et *suadere* inter se confusa 35
geminare 32
genius felix (*uel bonus*) *ἀγαθὸς δαίμων* 25
gloria et *gratia* confusa 41
glossema perantiquum 10
honus 44
Horatius pro adiectiuo 47
iam cum substantiuo coniunctum 42
Illyricum scopulosum 41
in- in *hinc* corruptum 45
incinctus cum accusatiuo 41
indicatiuo pro subiunctiuo in philosophorum quaestionibus poetae abutuntur 19 *n.*

indicatiuus pro subiunctiuo apud Manilium 18 cum *n.*
inflexiones uerborum inter se transire a librariis coguntur 43
innare 23
inuictus tamquam *a uinciendo* 33, 67
inuito (alicui) *esse* 37
Iuppiter durius dictum 47
laus in re militari 36
λεία uerbaliter 38 *n.*
Libra uel *Chelae* per compendium scriptum 59
Librae XXVI gradus quo cum sidere oriatur 67
locatus pro *uolatus* scriptum 7
Lucretium imitatur Manilius 18, 33
lucta Thyestae cum natis 51
magis et *minus* confusa 34
Manilii de feminis iudicium 22
Manilius Propertium imitari uidetur 23, 46 sqq.
messis, i. q. *annus* 32
modo ab *etiam* exceptum 47
montes i. q. Symplegades 44
nactus passiue 52
nauare operam 13
naue agere 36
notae signorum Zodiacorum a librariis male intellectae 58
O nota pro stella Mercurii 11
pacem gerere 10
planetarum mentio 7
poetae interdum priorum uerba secuntur, non sententias 46
pondus, *pondera* de fide 25
potius 40
praeda uerbaliter 38
praesens subiunctiui cum imperfecto coniunctus 32
quadra 24
quadratum per compendium scriptum 58
quadrum pro *quadratum* a Manilio non ponitur 24 *n.*
qualis = quod talis 65
quam! ab *ut!* distinguitur 55
quantus pro *quantulus* 16
ratione et *tempore* opposita 8
re- praepositio intercidit 49
rectura 45
resonaui improbandum 54
rotare motus 50
sepositus 37
sepulcrum de comesis 51
si geminatum 39
σιγματισμός 32
spoil uerbaliter 38 *n.*
spolium uerbaliter 38
σπονδειάζοντες apud Manilium 11
st pro *est* 26
Stoicorum dogmata 17
Stoicorum τὸ ἡγεμονικόν 17
sua pars pro *sui p.* 9
sua pro *eius* falsarii 8
Titan in Thyestae epulis 52
trigonum 10
Typhon alatus 15
uictus tamquam a *uinciendo* 33, cf. 67
uidere pro *adire* 46
uir pro 'uirilitate uel libidine' 47 *n.*
-ŭm non producitur in hiatu 23
unus pro *singuli* 29

II. LOCORVM.

A. MANILII.

I 128—131 2
I 167 4
I 171 sq. 3 sq
I 242—245 21
I 269, 284 21
428 sq. 5
I 433—435 5
I 469—471 21
I 637—639 22
I 717 47
I 741– 743 6
I 778—780 22

I 794 sq. 23
I 809—812 6
I 843 sq. 23
I 889 sq. 7
I 898 sqq. 48
I 920 sq. 66
II 4 sq. 23
II 70—73 7
II. 230—233 1
II 320—323 24
II 347 sq. 24
II 424—428 8
II 530—535 8
II 570—573 25
II 594 9
II 619—623 10
II 679 sq. 25
II 886—889 25
II 891—893 25
II 943—945 11
III 7 sq. 26
III 87—90 26
III 142 26
III 154 26
III 323—327 27
III 373—377 27
III 525—532 28 sq.
III 537—540 11
III 545—547 29
III 571 62
III 590—617 30 sq.
IV 6 sq. 32
IV 43—48 33, 67
IV 108—116 34
IV 140—142 35
IV 150 sq. 35
IV 165—175 36
IV 200 sq. 36
IV 204—206 37
IV 222—224 37, 166
IV 243—249 12
IV 246 sq. 37 sq.
IV 266—269 12
IV 298 38
IV 417 39
IV 434 sq. 39
IV 445 39
IV 498—501 13
IV 515 *Praef.* p. vii
IV 523 sq. 39
IV 539—541 17, 64
IV 579—581 15
IV 599 39
IV 601 21
IV 602 39
IV 642—645 40
IV 669 40
IV 686—695 40 sq.
IV 701—710 41
IV 726 sq. 41
IV 787—790 42
IV 794—796 42
IV 845—849 42
IV 860—864 43
IV 873—885 15 sq.
IV 886—893 16 sq.
V. 33 44
V 40—45 44
V 51 44
V 53 sq. 45
V 96 47
V 132—134 45
V 135 45
V 151 47 *n.*
V 180—182 45
V 183 sq. 48
V 209 sq. 48
V 280 sq. 48
V 302 49
V 319 sq. 49
V 338 sq. 49, 67
V 353 50
V 398 47
V 439—446 50
V 459—468 50 sqq.
V 483 53
V 494 53
V 501 sq. 54
V 514 (543) 2
V 527—532 54
V 567 54
V 589 sq. 55
V 646 sqq. 55

B. CETERORVM.

Aetna 219 sqq. 276 sqq. 19 *n.*
CATVLLVS 113 29
CICERO *de finibus* 3. 75 33, 67
CLAVDIANVS *de bello Gildonico* 68 sqq. 38
CLAVDIANVS *carm. min.* 29. 1 sqq. 19 *n.*
FIRMICVS MATERNVS II 22 25
GRATTIVS 482 49
LVCRETIVS 2. 1038 sqq. 55
,, 5. 1082 38
MARTIALIS VI 28. 8 sq. 31
OVIDIVS *Ars Am.* 2. 185 sqq. 48 *n.*
,, *Fasti* 5. 471 sq. 64
,, *Met.* 3. 722 15
PERSIVS 3. 66 sqq. 19 *n.*
PROPERTIVS 1. 1. 9 sqq. 46, 48
,, 6. 29 36
,, 2. 5. 27 47
PROPERTIVS 2. 12. 5 sq. 47
,, 19. 26 39
,, 25. 43 47
,, 26. 34 44
,, 3. 1. 15 sqq. 36
,, 5. 25 sqq. 19 *n.*
,, 21. 7 31
,, 17. 24 14
,, 4. 5. 29 47 *n.*
,, 6. 26 Praef. p. vii
SALLVSTIVS *Iug.* 46. 8 10
TIBVLLVS 1. 1. 57 36
,, 5. 14 35
,, 2. 5. 10 36
,, 4. 17 sq. 19 *n.*
,, *Panegyricus Messallae* 18 sqq. 19 *n.*
VALERIVS FLACCVS 1. 172 sq. 55

III. *CODICVM* ET VIRORVM DOCTORVM NOMINA.

BALL(IVS) R. S. 67
BARTHIVS 53
BECHERT(VS) M. 59
BENTLEIVS R. 1 et saepius
BREITER(VS) TH. 15, 39, 43, 45, 54
COWELL(IVS) P. H. 67
CVSANVS (*C*) 3, 52
DELPHINIANA editio 29 *n.*
DVFF IACOBVS D. 46 *n.*
DYSON(VS) F. W 67
ELLIS(IVS) R. 10, 14, 32, 37, 57 alibi
GEMBLACENSIS (*G*) 3, 10, 14, 26, 39, 45, 51
HARDER F. 65
HOVSMAN(NVS) A. E. 47, 48
HVETIVS 4 *n.*, 32
JACOB(VS) F. 2, 4, 33 alibi
JEBB(IVS) R. C. 28
KNOBEL(IVS) E. H. 67
LACHMANN(VS) 21
LIPSIENSIS (*L*) 14, 44, 57
MATRITENSIS 31 *n.*, 37 *n.*, 54, 57 sqq.
MONACENSIS (*M*) 22, 23
NETTLESHIP(IVS) H. 21
PALMER A. 44
PINGRAEVS 54
REINESIVS 55
ROSSBERG(IVS) K. 34, 58
SCALIGER 12, 16, 49, 55
SCHRADERVS 40
TAPPERTZ(IVS) 18 *n.*, 48
THOMAS(IVS) 35, 56
de TVRPI VADO (Fulford, H. W.) 36
VOSSIANVS I (V_1) 28, 52
VOSSIANVS II (V_2) 10, 31 *n.*, 33, 57

CANTABRIGIAE: TYPIS INCVDERVNT I. ET C. F. CLAY PRELO ACADEMICO.


Lm 10.75
Silva Maniliana,
Widener Library
006356245
3 2044 085 211 126